

CAPUT NONUM

De Initiosis Sacræ Congregationis Capucinorum.

Num. I. Quia Historicum me ex professo, præsertim in contingentibus alienis, non profiteor, & narrationes Virorum nominatorum non examino; sed solum non ita pridem à R. P. Hierotheo primùm, demumque nuper adhuc persæpe jam in præcedentibus nominatum Scriptum nostri cuiusdam Modesti Vefini, Viri quidem, sed secundum rei Veritatem innominati, de novo provocatus; indeque à Superioribus meis cum Sanctæ Obedientiæ merito Jussi, defensivè procedere intendo: Hinc Sacræ Capucinorum Congregationis Originem, ejusdemque prima initia non tangam, nisi quatenus à suprà dicto *Quodam* impetus, trahor ad particulares nonnullas circumstantias, vel mihi objectos errores, quos equidem tales non esse monstrabo: ne fides Veritatis, una cum Observantinis Juribus, injustè patiatur. Inscrutabilia equidem Judicia Dei non est, qui confiteri simul, & admirari non cogatur, si Religiosissimam Patrum Capucinorum in latitudine Ordinis Seraphici Reformationem suis sub initiosis, & quantitate, & qualitate adeò per exiguum, tot oppositionibus agitatam consideret,

ut

ut vix non fuerit sæpius ad non esse reducta. Jam tamen per omnia Catholica Europæ Regna, cum (si pauca id est Poloniæ, & Lusitaniæ Regna cum Authore *Orbis Seraphici* Tom. 2. Lib.X. Cap. 4. excipias) Conventibus, atque Provinciis magno numero est dilatata. Et quamvis in Indiis Orientalibus, ex Lusitaniæ Coronæ, in Occidentalibus ex Catholicorum Regum oppositione, Conventus figere non licuerit, ut pro suo tempore dicit citatus Author; Veruntamen in Congo, in Brasilia, in Barbaria, & in Oriente (Palestinæ locis exceptis) atque inter Hæreticos Missiones Apostolicas fundavit, & multiplici animarum fructu administrat. Hâc proinde, sicut meritò omnibus, ità & mihi Sanctâ Congregatione in debita sibi Veneratio ne relictâ, Deoque pro ulteriori progressu communi Minoritanorum Suffragio commendatâ, ad meam meique Ordinis contra sic dicti *Modestis Verini* objecta defensionem, ulterius procedam.

Num. 2. Imprimis suo in *Discursu Polemico*
 pag. 47. sic de me conqueritur: „ Neo-histori-
 „ cus noster in Dialogi sui pag. 6. Capucinorum
 „ Reformationem circa annum 1519. nalcen-
 „ tem fingens, pag. 43. prorsus aliter sentit,
 „ ac non cohærenter dicit: *Qui Historiam*
 „ *Ordinis vel à limine salutarit, novit, quod*
 „ *anno 1525. F. Matthaus a Bassio, & aliis*
 „ *quidam à Clemente VII. pro se obtinuerint li-*

„ contiam &c. Et quia in suo *Itinere* non solum
 „ hic , sed & alibi à via recta recesserat , pergit
 „ audenter , eadēmque paginā nos docet , quod
 „ mox dicta licentia fuerit *revocata* (quo anno ,
 „ quia hic ipsum latebat , non expressit) ad an-
 „ num 1528. fuerit renovata , Camerinensium
 „ Principum instantiis , sic annuente , ac
 „ gratificante Papā. At dic *Sodes* ! quo Au-
 „ thore , quo teste revocatio prætensa proba-
 „ tur ? an Waddingus , an Boverius , an
 „ Ulissiponensis de ea quid ajunt ? aut si quid
 „ meraorant , cur corundem Authoritas , sive
 „ cur eorum Libri , cur Capita , cur Numeri
 „ non allegantur ? Celeberrimi hi Minorita-
 „ rum *Chronologi* , sicut his de figmentis nil
 „ sciunt , ita quoque de primo *Capucinorum*
 „ Ortu Verius , quam noster Neotericus , scri-
 „ bunt . „ En iterum *Oratoriè* exceptus sum
 per *Dic - Sodes*.

Num.3. Ast ! imprimis , quænam in hisce dictis
 meis discohærentia , aut apparens rationabili in-
 tellectui contradic̄tio ? *Nata est ad annum*
1529. Capucinorum Reformatio , & *Mattheus*
Bassio anno 1525. obtinuit licentiam &c. Fateor
 non infundatē dici posse ab anno 1528. *Nasens*
Capucinorum Congregatio ex eo , quod hoc
 anno FF. *Ludovicus Foro - sempronianus* , &
Raphaël Laicus , ejus Frater *Germanus* (*Bullā*
Religionis Zelus , sive mentione *Matthæi Basili* ,
 ad ipsos directā) permissi sint , alias ad suam
Socie,

Societatem admittere; Sicque Congregationem prius instituere. Ego nolens de Congregatione Acephala agere, Originem sumpsi ab anno sequenti, quo juxta ipsam R. P. Hierothei *Epitomen* primi futuri Capucini primum sibi **Caput** elegerunt, non ipsum Ludovicum (ad quem Bulla futuræ Institutionis directa fuerat) sed Matthæum à Bassio: quod, attentâ (ut priori **Capite** posui) Entium successivorum naturâ, mihi facere permisum putavi, ex eo, quod Modestus Verinus ipsem pag. 48. distinguendum moneat inter rudia, ignobilia, & veluti Materialia, & deinde formalia, solemnia, & conspicua alicujus Congregationis initia; per quod & ibidem Contradictionem à R. P. Hierotheo avertit; utique, ut illam mihi in **hunc** casu omnino simili imponeret.

Num. 4. Addo ego ad præsens, quod Matthæus Bassius circa annum 1525. ad summum dici potius debeat instituendæ expost Capucinæ Congregationis primam, eamque adhuc remotam solùm occasionem præter suum intentum dedisse, quam propria illius initia posuisse: utpote, qui nihil minus pro tunc, quam de erigenda Congregatione cogitans, pro se tantum, & unico fortè ejus Socio, licentiam à Papa orenatus impetraverat particolare **Caputum** (quale Reformatio sic dicta *Fratrum de Caputio* tempore Unionis Leoninæ pro exteriori etiam cuin aliis unitate, sponte deposuerat) por-

tandi, verbūmque Dei prædicandi, hāc appositā conditione: Quod, dum Observantes Fratres Provincialia sua Comitia celebrarent, ipse in signum Obedientiæ (quam proinde non deseruerat) ejus Provinciae Ministro se præsentaret, cuius confinio tunc temporis clauderetur: & ita annus 1525. præteriit, quem Epitome Hierotheana Reformatæ Congregationis Capucinicæ annum primum nominat.

Num. 5. Deinde anno 1526. dum quodam die circa finem mensis Julii Matthæus ipse Fabriani concionem haberet (nihil adhuc de Congregatione cogitans) suprà nominati Fratres Ludovicus, & Raphaël Observantes professi (postquam à Conventu suæ Obedientiæ, Fabricatis sibi secularium amicorum auxilio singularris habitibus, de nocte sine omni licentia discesserant) in Socios ab ipso assumi petierunt; quibus ille respondit, *pro se* tantam vitæ istius institutum obtinuisse; quod, si simili flagrarent desiderio, idem & ipsi ab Apostolica Sede impetrarent; quod & ad commendationem Ducissæ Camerinensis, quæ Clementis VII. Neptis erat, *pro se* pariter assecuti sunt, nullâ factâ mentione de Matthæi Bassii associatione, utpote, qui prædicationi sub tali à se pro tunc adhuc amato Caputio insistebat; prout ordinatè narrat *Historia Legalis Ord. Sarap. ad 50. Capitulum Gen.* pag. mihi 258. cum quo & Hierotheana Epitome, ad annum 1526. non discor-

discordat, nisi, quod haec binos hosce abeuntes cum nonnullis mysteriosis textibus insuper prosequatur, inter alia Ludovico applicans illud Isaiae 50. cap. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii.*

Num. 6. Hunc eundem equidem Ludovicum haec *Epitome* ad Annum 1535. pag. 277. Satis enormiter retrò abeuntem describit dicens:

„ Ab hoc ergo Capitulerium electionum favore (*N.B. non fuerat in Officio superioritatis confirmatus*) ut Ludovicus „ penitus exclusum,
 „ siveque ab omni gradu contra spem perturbatum
 „ se videt, ac Luget: erigit arrogantis cristas,
 „ evomit propinatum ab iracundia virus, re-
 „ nuit obedire Astensi, suásque confusiones,
 „ ceu fluctus feri maris despumans, cum pau-
 „ cis simplicioribus, quos fucato strictioris
 „ Observantiae Zelo seduxerat (*ubique Refor-
 „ mator*) ab Aede S. Euphemiae ad aliam D.
 „ Thomae Apostolo dedicatam declinat, in ea-
 „ que extra obedientiam degens, Ordinique
 „ scissuram intentans &c. (*hanc & Observan-*
 „ *tibus intentaverat*) pag. seq. pergit; „ Foro-
 „ sempronianus interim, tum penitentiâ, ac
 „ resilientiâ, ac subitanâ quorundam sequa-
 „ cium suorum morte ad consilia saniora re-
 „ ductus [*reductio apparebit statim, uti & pa-*
 „ *nctus resilientia*] ad Conventum S. Euphe-
 „ miæ cum residua factione revertitur. Deinde

„ post pauca eodem folio prosequitur : „ suâ se
 „ spe denuò frustratum aspiciens , Modestiaæ,
 „ prudentiaæ , atque Obedientiaæ Leges itera-
 „ tâ temeritate transgreditur ... Indies itaque
 „ inquietior , arrogantior , pejorque comper-
 „ tus , è Gremio Religionis (cujus instituen-
 „ da ipse primus Bullam anno 1528. impetrave-
 „ rat) ejicitur , „ addo ego : ab Observanti-
 bus non amplius receptus . Et hæc ex R. P. Hie-
 rotheo hic adjicere volui , in sequentibus forte
 pro paritate Fabricanda deservitura .

Num. 7. Circa autem superius quæstionam
 annorum Originis concussionem , recolli-
 gag se M. Verinus ex ipsa Hierotheana Epitome
 ad annum 1528. pag. 264. ubi quidem præfa-
 tus annus à facto Matthæi Bassii Capucinorum
 Congregationis Reformatæ annus 4tus in tituli
 inscriptione nominatur , atque sic consequenter
 in ejus Historia fit annorum prosecutio ; &
 equidem ad eundem istum annum 1528. ad-
 missio Matthæi Bassii in instituendum Capuci-
 norum Sodalitium (cui NB. idem Matthæus
 quatuor annis ab ante Originem dedisset) enar-
 ratur , dñm ibidem dicitur : *Matthaus , &*
Paulus (fuit hic Sacerdos secularis) *exciti tam*
bilari nuntio (directæ scilicet ad Ludovicum
 Bullæ Pontificiæ de instituenda Congregatione)
protinus Ludovicum saltant , ab eoque in Soda-
 litium juxta Bullæ concessionem adlecti cum ipso
 primis studiis ad dominum acquirendum collimans-

res &c. NB. ab ante suo modo, seu quantum ad hoc; adhuc vagi erant; atque insuper refle-
ctendum, quod primus Author Capucinorum à secundo ad Sodalitium Capucinorum admitta-
tur, seu adnectatur: Nam M. Verinus in sua
Quæst. 4. Matthæo Bassio Authori Primo, Ludo-
vicum Foro-Sempronianum velut secundum ad-
jungit.

Num. 8. Rebus ad annum 1526. ita, prout
suprà diximus, constitutis: dum Matthæus Bas-
sius suam prædicationem prosequitur, & tres illi
viri (hic scilicet, & Ludovicus cum suo Raphaë-
le) casu quo etiam per accidens aliquando con-
venerint, nullâ adhuc erant Apostolicâ authori-
tate ad invicem uniti, nescio, an Capucinicæ Con-
gregationis posita reverè dici possint initia; &
quidem ita, ut ego in dictis meis Num. 2d alle-
gatis, dici valeam non cohærenter fuisse locutus,
aut (ut Modestus Verinus loquitur) finxisse:
dum Matthæum ad annum 1525. taliter qualiter,
seu sine licentia abiisse, & ex post à Pontifice sub
restrictione (uti suprà) licentiatum afferui; as-
nihilominus reformatæ Congregationis Capuci-
nicæ Nativitatem ad annum 1529. ob rationem
suprà datam reposui. Sanè, si ego Natalia illa
taliter calculando, in Mod. Verini iudicio finxerim,
quantum non finxerit Author *Orbis Seraphici* Do-
minicus de Gubernantis, dum Tom. 2. Lib. 10.
Cap. 2. Num. 15. *Capucinoram* quidem Ori-
ginem ponit ad annum 1528. Congregationis ta-

men eorundem propriè sumpta initia , non , uti
 ego ob primam electionem Capitis ad annum
 1529. sed usque ad annum 1536. extendit , dum
 ibidem (postquam Bullam Religionis zetas &c.
 de anno 1528. integrum reculerat) sic scribit :
 „ Hanc fuisse omnino primam Capucinorum
 „ Originem , ubi de formanda nova Congre-
 „ gatione , de Barba , Caputique quadrati (de
 „ acuminato , seu pyramidali nullibi sit mentio)
 „ gestatione conceditur , non est , qui in dubium
 „ adducat , & Boverius ipse confiteretur : quamvis
 „ enim in *Apparatu ad Annales* , & ad annum
 „ 1525. eo anno natam dicat suam Congrega-
 „ tionem ejusque durationem ab eodem tempore
 „ dimetriatur ; immemor tamen sui ad annum
 „ 1528. Num. 22 sic habet : ad *Ludovicum*
 „ redeo , qui optatâ tandem Bullâ potitus , quâ
 „ illi & quadratum (pyramidale non nominat)
 „ Caputum , & antiquum F. Francisci habitum
 „ deferre , & Reformationis Familiam propagare ,
 „ & loca edificare , & Congregationem (nota)
 „ instituere , Apostolicâ Authoritate datum fuit ;
 „ ex qua denique Capucinorum Religio hoc anno ,
 „ hâc die , qua ztia Julii fuit , Deo aspirante sua
 „ felicissima tulit auspicia . „ Et pergit Author
 „ Orbis Seraphici : plurima hic adnotanda notat
 „ Boverius ex hujus Bullæ ponderatione , quæ
 „ nos apud ipsum ponderanda dimittimus ; hoc
 „ ipsum autem adverto . Bullam non ad Capuci-
 „ norum Reformationem , utpote cuius nondum
 „ exsta-

„ extabant vestigia , sed ad Ludovicum , & Raphaëlem fuisse directam , ut Congregationem possent instituere ; primæ verò , quæ pro Capucinorum reformata Congregatione prodierint Litteræ Apostolicæ , ejus Originem , statum , & Confirmationem importantes , sunt illæ Pauli III. anno 1536. expeditæ . „ Deinde ponit integrum Bullam Pauli III. quæ incipit : *Exponi nobis &c.* Ecce quomodo ille magis adhuc propria initia extendat , nec tamen prudenti fingit , sed rationabiliter suis sub considerationibus loquitur .

Num. 9. Nunc restat mihi adhuc afferre illud , quod M. Verinus suprà N. 2. à me exigit , scilicet , quo Authore , quo teste &c. probiti valeat , licentiam Ludovico , & aliis datam , expost fuisse revocatam : Pro quo imprimi cito Merchantium in *Chronologia Brevis Statutis Ord. Min.* pag. 245. adducentem , quod Clemens VII. dictam revocationem fecerit per Bullam , quæ incipit : *Cum sicut accepimus &c.* datam specialiter ad Ludovicum & Raphaëlem de Foslembruno , nec non ad Bernardinum , Vincentium , Antonium , & Sanctum . Item Arturus in suo *Martyrologio Franciscano* . Ad diem 3. Augusti §. 8. eandem revocationem refert factam anno 1527. & subdit , qualiter Pontifex anno sequenti 1528. iterum approbaverit , & confirmaverit illa , quæ primum Ludovico , & Raphaëli concesserat . Dominicus etiam de Gubernantis in suo *Orbe Seraph.*

Tom.

Tom. 2. Lib. 10. Cap. 2. Num. 13. idem referens adjungit, qualiter Matthæus (qui equidem in illa revocatoria specialiter non nominatur) tunc præsens in Urbe, deinde Ludovicus, Raphaël, & cæteri ad suorum Obedientiam superiorum in Observantia regulari redierint saltē ad tempus.

Num. 10. Tandem, ne fusior sim, cape, utere, & fruere Extractum ipsius Bullæ revocatoriae de anno 1527. idibus Maji, quam adducit Author *Chronologia Historico legalis* pag. 244. quāmque dicit exstare in Registro Curia Procuratoris incipientem : *Cum sicut accepimus. Inscripta Ministro Generali, & Procuratori Ordinis Minorum de Observantia, vigore cuius revocantur gratiæ F. Ludovico, & Raphaëli de Fossembruno, eorumque sociis acuminata Caputia portantibus concessæ, in qua Bulla inter Cætera hæc habentur : „Ipse Ludovicus, & Raphaël, nec non Bernardinus, & Vincentius, & Antonius, nec non Sanctus, ac nonnulli alii propriæ Professionis immemores &c. Domos ejus Ordinis exiverunt, & alios illarum Fratres ab eis exentes ad se advocare, nec non plurima à viris Religiosis aliena committere non erubescunt, in animarum periculum, & dicti Ordinis decus, perniciosum quoque exemplum, & Scandalum plurimorum. Nos, quorum interest, & ad quos spectat, temerariorum aulus reprimere, præmissis tanquam ab ipso Religio-*

, ne

„ ne alienis, & ab ipsa deviantibus pro viribus
„ occurrere cupientes , nec non Litteras expedi-
„ tas Authoritate Apostolicâ revocantes, cassan-
„ tes , & annullantes; ac Ludovicum & Raphæ-
„ lem , nec non Bernardinum , & Vincentium,
„ ac Antonium , nec non Sanctum præfatos , &
„ quosvis alios Fratres , Litteris ipsis , & in eis
„ contentis nullatenus uti posse , aut debere, de-
„ cernentes , vobis , & cuilibet vestrūm tenore
„ præsentium mandamus, quatenus Ludovicum,
„ & Raphælem... & quosvis alios Fratres, quos
„ dictarum litterarum prætextu à suis Domibus
„ exivisse reperietis, ad Ordinem , ac Domos
„ hujusmodi revocetis, eosque in illis morari,
„ & juxta laudabilia instituta dicti Ordinis per-
„ manere : nec permittatis eos , nec alios quos-
„ cunque vestræ Curæ commissos in eâdem Re-
„ ligione , aut extra eam , aliquam Congrega-
„ tionem, seu novum vivendi modum innovare,
„ vel servare Authoritatē nostrâ Apostolicâ com-
„ pellatis ; Contradictores quoslibet , & rebelles
„ per censuras , & poenas Ecclesiasticas , & alia
„ opportuna Juris remedia, appellatione post-
„ positâ , compescendo , invocato etiam ad hoc,
„ si opus fuerit , auxilio brachii fœcularis : Non
„ obstantibus &c. , Si quis illam totam , & re-
petitionem primæ Concessionis per Cardinalem
Pœnitentiarium dat , & jam revocandæ , satis
extensam legere desideret , videat orbem Seraph.
Tom. 2. Lib. 10. Cap. 1. N. 11. Astibidem no-

set

reterritum in adnotatione Anni 1530. utpote , quo anno (Capucinorum Congregatione jam firmatā) talis tenor Bullæ predisse non potuit. An autem propter suprà adductam Revocationem , ætas Congregationis Capucinicæ usque ad annum 1528. meritò retrotrahenda sit, problema esto.

Num. 11. Saltēm reformanda videretur *Epitome Hierotheana* , quæ pag. 262 ad hunc revocationis annum Ludovicum , & Raphaëlem ad hoc Pontificis tam serium mandatum , nedum non reduces, sed in Palatio Ducis Carnertium interea non tam vitam Anachoreticam , quam Angelicam duxisse constanter perhibet. Deinde confidenter narrat , qualiter Joannis à Fano , seu Fanestrī Ministrī Provincialis (qui utique Pontificiam hanc Bullam monstrabat , sicque Commissarium Apostolicum in hac parte agebat , nec non binos Anachoretas expostulabat) indecentia volita Ducis , & Ducissæ decentiure fuerint reprehensione repulsa ; Modestam , etiam , & simul gravem Ludovici , & Raphaëlis resistentiā laudans & approbans , nec non Ministri epulsi ruborem , & injectum ori silentium exaggerans asserit , illum comprobasse dictum Prophetæ ps. 63. *Sagittæ parvolorum factæ sunt plaga eorum , & infirmata sunt contra eos lingue eorum.* Quem texcum , ut pluralis numerus salvetur , debet fortè Commissarius iste Apostolicus , cœn Bullam Pontificiam exequenscum suo Principali dividere . Ex quibus

bus ruit illud , quod M. Verinus pag. 76. tenet, scilicet, quod texus ille , nee **Commissarium** , nee excommunicantem Pontificem , sed solum Joannem à Fano afficiat . Ego reverā magis in laudem primorum illorum Capucinorum cum probatis Authoribus teneo , illos ad Pontifícia hæc mandata obedientes , ad interim rediisse. Ast mihi non creditur ab illis , qui putant , & contra me clamant , quasi in præjudicium sacri Ordinis Capucinici scripsissim , cui ipsi potius sunt præjudicantes , saltēm in primis suis Authoribus.

Num. 12. Eadem Hierotheana **Epitome** pag. 260. narraverat , qualiter idem Minister Fanestrī ostensam sibi videns primam Ludovici , & Raphaēlis licentiam , quasi *radix germinans fel,* & *amaritudinem.* Deut. 29. ad Papam recurret pro illius revocatione ; At (inquit) Papa ut hominis animum immodicè concitatum adverbit ; & ipsum inexauditum dimittit , & ea , que Ludovico promiserat , hāc ipsā repulsā confirmat . Amen. Qui iterum tam absoluti sermones indigent magnis vitibus ; imò potius hoc est verba parere , & agere parerga ; Quæritque possit ; an indecentia sint , & tam sancte repellenda volita , quæ secum , & pro se habent Pontifícia mandata ? an illis rejectis , vel etiam solum neglectis (supposito etiam quod inusta , & subreptitia fuissent) vita potuerit perdurare *Angelica?* &c. Ubi reverā error unus errorum habet consequiam juxta illud I.

Phisic.

Phisic. Text. 21. *Uni inconvenienti dato, alia contingunt. protectò mira* (inquit Alexander Alensis part. 3. memb. 4.) *est sapientia, quæ omnium ostendit insipientiam, & mira justitia, quæ ceteros condemnat ferè omnes*, subintellige erroris. Sanè M. Verinus in erroribus meis declarandis, & ad publicum denunciandi liberalis, & quasi profulus, in iis autem ostendendis, & probandis parcus, & quasi nullus est. Interim scribendum erat, si non ad utilitatem, saltē ad ornatum universi.

Num. 13. Ad M. Verini nunc objectiones, seu potius objectionum meorum prætensis solutiones, concomitante benevoli lectoris patientiâ, procedamus. Pag. 64. infideliter, ac finistrè me citat, & per obliquum intelligit, dum hæc verba quasi ex toto mea adducit: „Matthæus Bassius nunquam mentis fuit, se à Corpore, aut à Capite Ordinis Observantini fejungere; aut se in aliud, nō vñque Caput erigere, Ludovicus autem à Capucinico Corpore, cuius Caput antea fuerat, debuit justitiâ postulante abscindi; Et quis credat hos Capucinæ Familiaæ Patres, & Authoræ tenendos, ac nominandos esse? Dialogo Contin. pag. 95. Ex quib[us] infert imd, me Bassium hypocrisis reum denunciare. 2dū me mihi per hoc contradicere, dum alibi eum probatæ sanctitatis virum appellem. 3tiò illa verba: *Et quis credat hos Capucinæ Familia Patres, & Authoræ tenendos, ac nominandos esse?* quæ mihi

mihi affingit, errorisque accusat per exempla, quæ adducit de Joanne XXIII. à Pontificatu deposito, qui equidem fuit verus Pontifex; & de S. Joanne à Cruce, qui, esto fuisset juxta aliquorum, ut ait, intentum ex Ordine ejus, tamen Carmelitanæ reformatæ Familiae verus Pater mansisset. Potuisset tertium adhuc exemplum, non extraneum, sed domesticum attestare de Bernardino Ochino secundo post Ludovicum Foro - Sempronianum Generali Capucinorum Vicario, quem equidem [& sat̄ bene] ad Catalogum Superiorum Generalium, sub nomine Bernardini à Senis collocat; Interim hoc omisso, binis prioribus mihi oppositis, subjugxit: „ Quid ad hæc Lectoris prudentia? „ sentiet utique cum Epistola dedicatoria, quæ „ Rationibus Historicis Episcopi Bovinensis „ præfigitur, & in qua innominati quidam „ Zoili sic perstringuntur: *Sunt nonnulli, qui „ audacter quidem, sed infeliciter nimis, futura „ prospiciunt, quique alios suis metientes affectu- „ bus, facile, quod suum non est, corripunt, „ sibimeipsis vero difficultè consultant, prospic- „ ciluntque.*

Num. 14. Quales tumultus! ad quos impri-
mis Resp. me per prima illa verba, quæ mea
sunt, non qualiscunque separationis intentionem
à Bassio exclusisse; cùm nonnullam separatio-
nem, imò & abscessum ejus sine superiorum
licentia sat̄ admiserim; sed solum Judicabam,

A a
ipsum

ipsum (quem & R. P. Hierotheus scribit superioritatis Officium non nisi omnino reluctanter admisisse, breviisque deposuisse) ipsum inquam nunquam intendisse separationem, quā scilicet voluisset se (ut mea verba sonant) in aliud novumque Ordinis Caput erigere; prout de Ludovico Foro-Semproniano, ex ipsa Hierotheana Epitome, ejus ambitionem Stylo satiſ ferreo, describente, potuisset præsumi, quod Flosculus ille (prout ibidem in contextu posueram) ad alium se forte voluerit hortum transferre, ut supremus mox in illo fieret Hortulanus; sique in toto bene considerato crimen simulationis, & hypocrisis ipsi Bassio minimè intuli; Cujus proinde M. Verinus, sicut solus meminit, ita ab illius operosâ abstersione tacens abstinere, & adductam per me viri laudem in salvo relinquare potuisset, ac debuisset.

Num. 15. Circa tertium autem, sicut benevolo Lectori revisionem mei Dialogi in hoc passu commendo, ita ad M. Verini in- & externum sensum appello: an similia verba, quæ tanquam mea pag. seq. adhuc virgulat, & refutat; an similis sensus, vel tali quoquo modo affinis, in meo Dialogo appareat. Imò, quod majus est, ego ipsem in Dialogo illo pag. 70. & seq. ex professo talem sensum oppugno in hisce terminis; , Ast an non Pater, qui Filium à se genitum postea desereret, vel male traharet, aliaque ageret Patre indigna? verè nibi.

nihilominus Pater fuisse, & esse censendus est.
 Profecto sicut aliunde turpe est Filiis, & in-
 gratitudinis notâ non caret, parentes, etsi
 pauperes, & minus honoratos non agnosce-
 re; sic suspectum, & longè nimis quæsumum
 videretur, velle Cælitibus immediate geni-
 tum reputari. Si etiam aliquid operis relin-
 quatur Matthæo, aliquid Ludovico, per
 hoc equidem nullo modo divideretur gloria
 illa, quæ Soli Deo debetur, & quam ordi-
 nariè mediantibus causis secundis sibi facit
 accidere. Unde Paulus non reputabat Sal-
 vatori inferre præjudicium, dum 1. Cor. 4.
 dicebat: *Si decem millia Padagogorum habeantur in Christo, sed non multos Patres, nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* In
 hoc etiam P. Hierotheus Scrupulosior appa-
 ret, quam S. Hieronymus, qui de S. Joan-
 ne Apostolo & Evangelista in Libro de Scrip-
 toribus Ecclesiasticis meminit: *Totius Asiae*
fundavit, rexique Ecclesias; Licet Christus,
 ut fundator principalis haberi debeat. Si
 nihil Matthæo, nihil operis Ludovico te-
 spectu particularis Congregationis Capuci-
 norum, ergo pariter nihil Benedicto, nihil
 Dominico, nihil Francisco. Hæc sunt ar-
 guimenta, quibus illud ipsum oppugnavi, quod
 Modestus Verinus mihi hoc loco affingit, tan-
 quam à me dictum, & quod nequidem natum
 est in cerebrum satis purgatum ascendere.

Num. 16. Ut autem econtrario appareat, quòd aliquando Cerebrum talia sensa occupaverint, lege meum Dialogum pag. 70. n. 84. Ubi postquam egeramus de Boverio Congregationem Capucinorum veluti Melchisedech sine Patre, & sive Matre mysteriosè nimis deprædicante, pro more nostro Epitomen Hierotheanam volebamus cum illo non nihil conjungere ipsam pag. 281. citantes sub propriis ejus hisce terminis: *Bassio ita, ac Foro-Semproniano à Capucinica Congregatione præcisus evidenter patuit, novæbusus Reformationis Authorē neque hunc, neque istum, sed extitisse dicentem: quis hac operatus est, & fecit, vocans generationes ab Exordio? Ego Dominus, primus, & novissimus Ego sum: Ego Deus tuus confortavite, & auxiliatus sum tibi. Isa. 41.* atque ideo, ut nihil operis Matthæo, nihil Ludovico. Cui ego non approbans, sed resistens subjunxi: *Quam sequelam eo ipso approbabis, si concederis illum nihil operari, cui Deus auxiliatur, & quem confortat.* In quo M. Verinus, ut sive fine pugnet, me iterum oppugnat, uti post pauca adducam. Imò idem ipse pag. 62. Boverianum Melchisedech defendit dicens: „Dum Boverius suum Ordinem sive Patre, sive Matre mirabilem dicit; eo modo, quo divina Scriptura, petit intelligi, quòd nempe, sicut Sacra hæc historia Regis illius, ac Sacerdotis parentes, eti verè extiterint, ab objectis tamen, seu

à materiis suæ narrationis exclusit: Ità & Ca-
pucina Religio ab Alumnorum suorum nume-
ro, ac serie Bassium, & Ludovicum, quam-
vis verè satores ejus vocentur, suis tamen de-
causis abscissos, separatos, & exclusos conspe-
xerit, ac ut tales usque modò consideret,
rectèque proin Proles sine Patre, sine Ma-
tre dicatur. „ Ast, neque hoc benè, nam
(præscindendo à disparitate Mysterii) dico,
quòd, si S. Paulus ex Scripturis Sanctis pro-
prium Patrem, ejus nomen, Patriam, Filii
Melchisedech per ipsam procreationem, hu-
jusque procreationis locum, & modum, educa-
tionem, promotionem &c. cognovisset, pro-
ut hæc circa Ludovicum, & Bassium ubique
leguntur, ipsum reverè Melchisedech sine Pa-
tre, sine Matre, sine Genealogia nunquam pro-
nunciasset; Hanc proinde similitudinem [si
quaæ esset] claudicantem, ejusque defensionis in-
firmitatem, timeo, ne Democriti rideant.
Heracliti fleant. Deinde [si Capucina Religio,
veluti Sacra Scriptura Parentes Melchisedech,
à Materiis suæ narrationis, & ab Alumnorum
suorum Serie excludit; cur Hierotheana Epito-
me illorum toties meminit, ac in Religionis
Generalium Serie concludit? Interim, ut ad
rem nostram redeamus, ego arguor, ac si eos
à Paternitate exclusissim.

Num. 17. In veritate dico, quòd, dum illa
(ut supra Num. 13. produxi) verba, & sen-

sa mihi objecta, & afficta, tamque à me aliena, ac ipsi objicienti tam propria in *Discursu Polemico* legerem, per totam subito faciem (quia, ut puto, vir honestus sum) rubor inihi obortus fuerit, non pro me, sed pro eo, qui ruborem à se videtur repellere, dum fortè putavit, me non amplius responsurum; quo casu non defensa erubuissest sub simulata Veritate innocentia, atque ille larvati Authoris Libellus apud Lectores, meum Dialogum ad manus non habentes, vel illum non in omnibus rividentes; habuissest fidem, qui equidem ne locum quidem meretur; sicut & taliter scribentis Calamus, quodammodo electorisatus, ab ulteriori videretur scriptione prohibendus. Similes enim infidelitates etiam jam tam monstravi suprà Cap. 4. sub variis numeris, Cap. 3. num. 20. & Cap. 8. num. 18. Cap. 9. n. 54. & 55. Cap. 3. n. 20. Cap. 2. n. 13. 14. & 36. Unde, si semel inventum, decies factum dicatur in proverbio, fortè toties jam inventum, & fortassis adhuc reperiendum, dicetur in folio. Sanè vellem facere mihi violentiam, ità, ut non crederem illum istius Libelli esse Authorem, qui scientiā mihi privatā, & Trevirensibus equidem publicā talis agnoscitur, & ab aliquibus insuper ut talis adhuc jactatur, esto forsitan ipse non solus ad illum concurrerit. Ad minus interim Anonymus noster Modestus Verinus sumat, sibique retineat, & applicet tex-
tum,

tum, quo per ipsum adducta superius num. 13. Epistola dedicatoria Zoilos perstringit, & quem ipse præensis dicit meis, sicque & mihi apponit; & omnis Lector, ad cuius prudentiam ipse appellat, dicet *Amen*; qui & sub specioso *Modestii Verini* nomine, significatam cum *Veritate Modestiam* forte non deprædicabit.

Num. 18. Paginâ 60. me accusat, quod minus fideliter processerim, maleque adduxerim ejus verba: *atque ideo nihil operis Matthæo, nihil Ludovico*, iterumque male illis subjunxerim (*quasi verò is nihil operetur, cui Deus auxiliatur, aut quem confortat*; cùm R. P. Hierotheus equidem posuisset sic: *atque ideo, ut nihil operis Matthæo, nihil Ludovico, sed tota ejus gloria Soli Deo daretur*; ubi per illam particulam *Ut* (quam ex oblivione omisi, quācumque dicit esse causalē) putat se destruere sensum, quem dicit me ipsi affinxisse. Ast particula illa *Ut*, quod magis causalis est, eo magis stat pro meo isto adjuncto: quā causalis enim refertur ad præcedentia, ubi in textu Hierotheano dicitur: *Evidentiū patuit nova hujus Congregationis Authorem neque hunc neque istum scilicet neque Ludovicum, neque Matthæum extitisse*. Ubi proinde, si tales neque post Deum (prout in omnibus operationibus bonis necessariò subintelligendum est) Congregationis Autothores extiterint, etiam *nihil operis*, aut de operis entitate *nihil Matthæo, nihil Ludovico* tribuerunt.

dumi. Textus etiam per M. Verinum adducti pro me sunt, dum dicitur : *Ego Dominus, qui eduxi vos de terra Aegypti*, Levit. 11. & alius : *Mittam te, ut educas populum meum de Aegypto*. Exod. 3. nam primo illi textui non additur : *atque ideo, ut nihil operis Aloysi*: neque in contextu afferitur, *evidenter patere Eductorem populi neque Moysem, neque Aaron extitisse*; sed Deum, cui omnis gloria, etiam in iis esse debetur, quae ita prodigiosa non sunt, & tamen suos inter homines Authores agnoscunt, & nominant. Iterato consideret cordatus Lector, an stante hac tota nostrâ Criticâ, mihi affingi sub titulo, vel in minimo colorato, debuisset, aut potuisset prolatio verborum, quæ mihi M. Verinus reipsâ affingit circa Matthæum, & Ludovicum, scilicet hæc : *Et quis credat hos Capucinicas Familia Patres & Authores tenendos esse?* Quasi dicere nullus, vel nullo modo, prout suprà Num. 13. visum est.

Num. 19. Insistit ibidem M. Verinus his verbis : „ Cæterum si in Dialogi pag. 70. dictis : „ videlicet : *Quam sequelam eò ipso approbabis,* „ *quò concesseris, illum nihil operari, cui Deus* „ *auxiliatur, aut quem confortat;* si inquam „ his ad Ludovicum, nec non ad Bassium, ceu „ ad Capucinicas Reformationis Authores, „ Continuator collineet, prout ex connexione „ collineare videtur, sùm irremor hic affir- „ mat, quæ alibi negat, quòd nempe Deus „ ad

„ ad Capucinorum initia non solum permis-
„ sive, sed & quā Auxiliator, & Confortator
„ concurrerit. „

Ast! quod mihi nunquam talis sensus inciderit, vel etiam sola cogitatio: quasi Deus ad nulla laudatae Capucinorum Congregationis initia positivè, sed ad omnia solum permisivè, sicut ad mala concurrerit (si non credas publicè hisce prolatō testimonio conscientiæ meæ) vide re idem poteris in initio Epistolæ meæ, quam ante partum *Discursus Pelemiti* dedi ad R. P. Hierotheum, & quam suprà adduxi Cap. 5. num. 5. ubi contestabar, qualiter per errorem Typographi, à quo ego longè absens eram, proprius meus sensus fuerit obscuratus, ita ut per modicam transpositionem particulæ *Non* (quæ infinitantem quandoque, & negantem sensum efficit) aliquo modo universalis negatio intelligi potuisset. Nihilominus contextus mei satis ubique indicabant, me solum voluisse, quod non ad omnia ejusmodi initia Deus concurrerit positivè; Inò addidi, quod non putarem, me Sacrae Capucinorum Familiae derogare, si hoc *dicerem*: patens autem fuisset derogatio, si sensum universalem, quæad illius initia in hoc passu intendissem. Quod si rationabilis isthac mea purgatio M. Verino non sufficiat, revoco errorem, à quounque demum commissus, vel occasionatus sit: utinam & ipse in pluribus talem revocationem facheret,

tunc novo suo *Discursui Polemico Hierotheanis* offensionibus, novas offensiones non addidisset, ac multiplicasset noster non bene nominatus *Modestus Verinus.*

Num. 20. Si autem hic aveat scire, ad quænam particularia Capucinæ Congregationis initia Deus se solum permisive habuerit, bonumque nihil omnino maximum ex nonnullis malis eliceret, reflectat ad injurias, quas *Epitome Hierotheana* tantopere exaggerat, tanquam prius Capucinis ab ipsis Observantibus illatas, quæ, si vera sunt, etiam vera mala sunt. Nec in omnibus observet pretensam Observantinæ Familiæ à Regulari Observantia defectionem, *Observatum aurum, & matatum colorem optimum,* quæ M. Veribus tanquam Matthæum Bassium moventia pag. 53. adhuc repetit magis, quam probat; & ad quæ Deus non magis positivè concurrit, quam ad obdurationem cordis Pharaoñici. Et tandem hisce omnibus (quæ, ut asseritur, novæ Congregationi occasionem dedeunt) ego etiam addo abitum Matthæi Bassii sine omni licentia, esto diteste iherit ad Papam. Item nocturnam, claudestinamque, sine scitu Superiorum, Ludovici, & Raphælis fugam, cum particularibus, & valde singularibus habitibus, ab amicis secularibus ad illorum instantiam confederis, & receptis, quos, quia ob singularitatem non poterant dicere *nostros*, si non in verbis, saltè in opere debebant dicere *suos*, defi.

deficiente praesertim Superiorum licentia, etiam rationabiliter non praesumenda. Nec obstat, prout Mod. Verinus ad Cadenzationem facti adduct, quod Papa illos non ut Apostatas, sed eum benignitate, ac peitorum concessione excepit: Respondeo enim, quod hic gerens in terris personam Christi, etiam peccatores recipiat, atque petitionis, modum misericorditer ignoscens, postulata, in substantia non mala, concedit, non nihil condescendens.

Num. 21. Dum interim ego nolens de similibus disputatione, R. P. Hierotheum ad Lucam Waddingum, precipuum Minoritarum rerum Historiographum pro mea pace remiseram, addens, quod cum illo haberet dissertare, an praedicti Apostolicè, vel Apustaticè primiū abivissent; Modestus Verini discretio, me etiam paulisper ad respirandum relicto, Waddingum aggreditur pag. 53. sic sibi ex ipso refutatulum objiciens: *Occultus Bassii discessus, si non in foro poli, reatum tamen Apostasia contraxit in foro fori. Waddingus ad annum 1525. ad quæ respondebat in modo: „Si de foro fori sit sermo, Bassius assentilabitur S. Paulo, qui Damasci ad me liora se vertens, Hierosolymis apud fideles Discipulus Christi, novusque Apostolus: apud Adversarios audiebat Apostata. „Quam responsum, sicut & sequentem, ut in duplo haberetur, exsciptis ex Epitome R. P. Hierothei, seu potius idem eadern sua reperit.*

Num.

Num. 22. Ego interim in absentia Waddingi possem quærere, an illa comparatio ad Verinam Modestiam benè quadret? quo supposito: sicut Paulus infidelem, & incarnatæ Veritati totâ die contradicentem populam confortio, & animo derelinquens, apud fideles audiebat Apostolus; ità Matthæus transgressores Minoriticæ Regulæ, & Regulari Observantiae adversantes, solo nomine Observantes, in suis sordibus deserens, apud procreandam adhuc unicè fidem Capucinorum Congregationem, vetus & obediens dicebatur Frater Minor. Itò, sicut populus Iudaicus in tota sua communimissa à veritate, solis umbris, & figuris adhærens, defecerat; ità & Corpus Observantium, Observantia regulari evanescutum, differtens erat à Regula, & intentione S. Francisci: qualis Observantiae communis lapsus, seu illius assertio, jam per S. Congregationem castigata est in taliter perorante Boverio. Si autem Matthæus se separaverit ob defectus solum particularium, cut non & Paulus, cui comparatur, separavit se ab illa Ecclesia, ubi audiebat scissuras esse inter fideles, imò ubi intellexerat practicari, quæ nec inter gentes sunt? nunquid potius studibat tales particularium defectus verbo, & exemplo corrigere, quam defectuosos hujusmodi totaliter deserere? Particularium tunc in Ordine ab Observantia regulari deficientia non est neganda; nam & S. Leo Papa ferm. 4. de Quadrag. de perfectione Christiana

Tra-

Tractatum habens, inquit: *Sed quia haec fortitudo paucorum est; & dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vita hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundo pulvere etiam religiosa corda fordescere.* Minime diffitemur, etiam hodiecum apud nos fatalia hujusmodi, disciplina que remissiones accidere, quia dies mali sunt. Ephel. 5. & carne pleni; ubi equidem ferventiores à laxioribus non recedunt, neque hi illis cum effectu dicunt: *recede à me, quia hems peccator sum.* Pro quo S. Augustinus Epist. 203. inquit: *arca Domini nondum ventilata est, sine paleis esse non potest; nos oremus, quantum possumus, ut frumentum simus.*

Num. 23. Eadem paginâ ad superius assertum Waddingi M. Verinus respondet 2dò pet non satis fideliter adductam historiam dicens:

„ S. Franciscus à Teutonico quodam Fratre rogatus, ut, si contingenter Regulam à Fratribus non purè, seu minus strictè servari, sibi liceret „ se ab ipsis sejungere, salutisque suæ modis, qui- „ bus posset, juxta Regulæ præscriptum consu- „ lere, respondit: *petitio tua confirmata est in* „ *Celis.* Quo responso edocetus, animatus, & affligeratus Matthæus Bassius, cum mutatum „ colorem optimum ex plurim agendi modis „ displicenter consiperet &c. Hæc ille.

Nunc adesto parumper mi Modeste Verine, & significatam nomine tuo veritatem à veriore apprehende, ex libro scilicet, qui intitulatur *specu-*

lum

lum vita S. Francisci, & sociorum ejus ; Authoribus
 F. Fabiano, & Hugolino, & aliis Minoritis D.
 Francisco coavis ; Castigatore autem, & Adnota-
 tate P. Philippo Bosquiero : Ubi paginâ mihi
 305. & 306. legis prædixisse aliquando S. Fran-
 ciscum, quod prevalida Fratrum tuorum tenta-
 tio ob amorem sciendi quasi ventus vehemens à
 Regione deserti surgere deberent ; & de talibus
 scientibus dixit : Erigent tentoria illi magna me-
 retrici, & filios suos introducent in ea, de mercede
 voluptatis viventes. & erit promissa simplicitas iu-
 derisum, contemptibilis, & despacta in oculis eorum,
 audaciam, & presumptionem presumunt, & glo-
 riabuntur in laudibus hominum, & de nomine sci-
 eniae, & de industria, seu prudencia confident : &
 tunc amarissima erit, & intolerabilis cordis con-
 versatio. Multa etiam alia prædixerat S. Pater de
 futuris vicissitudinibus sui Ordinis, quas colligis
 ex quæstionata historia loco citato relata : scilicet,
 quod Francisco taliter pronuncianti in Sancta
 Maria de Angelis (quæ Portiuncula est) Frater
 de Alamabiana cum multa reverentia dixerit S.
 Francisco : „Proposui Evangelium firmiter ob-
 servare, & Regulam, juxta quod promisi,
 secundum puram intentionem, quam Christus
 per te locutus est, simpliciter & fideliter cum
 adjutorio gratiæ ipsius. Sed unam à te postulo
 gratiam, ut si in diebus meis Fratres tantum à
 pura Regula Observantia declinarent, quantum
 tu per spiritum Sandum declinare pronicias ;

de

„ de tua obedientia , solus , vel cum aliquibus
 „ Fratribus eam pure observare volentibus , pos-
 „ sit à non servantibus recedere , & illam per-
 „ fectè servare . Quibus auditis , gavisus est
 „ vehementer S. Franciscus , & Benedicens eī
 „ ait : à Christo , & à me , quod postulas , scias
 „ esse concessum . Et posuit dexteram super Caput
 „ ejus , & dixit ei : Tu es sacerdos in aeternum
 „ secundum ordinem Melchisedech . Et addidit
 „ Beatus Franciscus , quod omnes promissiones sibi
 „ à Christo factæ , in illis finaliter completerentur .
 „ qui Regulam simpliciter , & ad litteram sine
 „ glossa , cum lexitia servare studerent .

Num. 24. Videamus imprimis , quid circa
 talem à S. Francisco datam licentiam pro Matthæo
 juris sit , & deinde pulcherrimam illam compa-
 rationem examinabimus , propter quam equidem
 ad interim erubesco , præsertim , si utroque esset
 par ratio , & Observantinus Ordo tempore Mat-
 thæi Bassii tantum à para Regula Observantia de-
 clinaverit , quantum S. Franciscus per spiritum
 sanctum Ordinem declinaturum pronunciaverat .
 Interim poterat S. Franciscus quæ Fundator , &
 Legislator Fratrem illum ab obedientia locati exi-
 mere , talē inque licentiam illi date , absque eo ,
 quod hæc promiscuè ad quemcunque sit exten-
 denda . Sicut & moriens primogenitum spiritua-
 lem Filium suum Bernardum à Quintavalle (dum
 eum ad instar morientis Jacob gen. 48. cancella-
 tis manibus benediceret) licentiatavit , ut , quoad
 vive⁹

viveret, quoque vellet, iret, & moraretur, ac nullius Fratris Ordinis subjiciendus esset imperio, ut refertur apud citatum Bosquierum pag. 204. Si & hoc M. Verinus Theologâ suâ velit ad alios extendere, nulla in Ordine nostro curanda foret obedientia. In utroque potius curreret illud : *Quod alicui gratiore conceditur ; trahi non debet ab aliis in exemplum*, ut dicitur ff. de Reg. jur. l. *Quod alicui. & simile habetur ibid. l. Qua à jure*, unde talis concessio erat *privilegium personale*, quod sequitur, & exinguatur cum persona, ut habetur supra l. *Privilegium. &c. Constitutu. de Concess. Præbend. præsertim*, cum propter personam, ejusque probatum zelum, & quasi ex speciali revelatione (ut verba concedentis innuunt) fuerit concessum ; idque præscindendo à juribus postmodum constituendis à potestate vel altiore, vel saltē simili eidem, quam S. Franciscus in Ordinem habuit. Deinde Frater ille (ut ex supra fideliter adductis verbis ejus claret) non petuit talem licentiam universaliter, & promiscue ; Neque hic juvabit allegare identitatem rationis respectu similiter Zelandium ; præterquam enim, quod hæc non cuiusvis sit judicio examinanda, & de se plerumque valde dubia, & in Ludovico Foro-semproniano (ad quem etiam in præsenti extendi vult) ob prudentem se sinistrum zelum ejus, quasi nulla : quando agitur de genere prohibitorum, tunc, *quod non invenitur expressè concessum*, intelligitur denegatum, ut dicitur in Clem. Extravag.

de

de Verb. Signif. insuper in paritate ex parte Ordinis deficientis, Calumnia est in Boverio castigata.

Num. 25. Generaliter igitur servandum est jus commune, cui S. Franciscus præjudicare non potuit, imò secundum quod ipse met in suo testamento pro se, suoque ordine dicit: *Firmiter volo obedire Generali Ministro, & illi Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare, & ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire, vel facere ultrà voluntatem suam, quia Dominus meus est.* Et hoc utique etiam intelligendo ad normam I. Petri 2. præscriptam: *Subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. & Matth. 23. v. 3. omnia, quacunque dixerint vobis, servate, & facite; secundum opera verò illorum nolite facere.* Exstant etiam pro hoc jura Ordinis statim adducenda; & aliunde principia hisce contraria; novimus esse periculosa: Si nimirum ob superiorum, majorisque etiam partis Confratrum vitam, quantumcumque etiam irregularem, abjecere liceret obedientiam; quo semel promiscue supposito, nedum Religiosi quique Ordines, sed & ipsa periclitaretur Dei Ecclesia.

Num. 26. Interim hic forum Dei non inspicio, pro quo concedit ipse Waddingus, quod forte potuerit Matthæus Bassius, propter erroneous conscientiae inculpabilem resolutionem, non incuruisse Apostasiam; sed M. Verinum interrogo,

an pro foro fori (quod de casu , ut in exterioribus jacer , dijudicat) idem utrumque sit rationabiliter sentiendum ? Obstantibus præsertim tam disparibus motivis , & circumstantiis , quod ipsa S. Francisci Regula Cap. 10 . (ad Declarationes Pontificum sub mortali) præscribat : *Ubiunque sunt Fratres , qui scirent , & cognoscerent , se non posse Regulari spiritualiter observare , ad suos Ministros debeant , & possint recurrere.* Super quibus verbis S. Bonaventura in Expositione Regulæ inquit : „ Si cognoscerent per judicium re- „ cturn , non posse in his , quæ spiritualia sunt , „ cum tranquillitate cordis : ut in consortio Mu- „ lierum , vel propter Corporis necessaria , si „ haberi non possint alicubi salva Ordinis purita- „ te , vel propter similia... recurrete possunt eo „ tempore ad suos Ministros per se , vel per Nun- „ tium (& addit) formâ tamen statutorum Or- „ dinis observatâ in eundo : quia istud debitum „ non est exemptum ab obedientia statutorum . „ Ex quibus colligis , etiam tunc temporis modò ex- stitisse statuta modum taliter euntium regulantia , ac restringentia ad licentiam superiorum subalter- norum . Pro hisce specialiter vide infra N. 49 . & 50 .

Num. 27. Nolo hic Tridentinum , ut pote ad ca- sum nostrum parùm feroveniens , adducere , quod equidem ex rationibus intrinsecis (quæ semper currunt) Seß. 25 . de Regular . Cap . 4 . ordinat : *Non liceat Regularibus à suis Conventibus recedere , etiam prætextu ad superiores accedendi , nisi ab eis missi ,*

aut vocati fuerint, qui verò sine predicto mandato, in scriptis obtento, inventus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui Instituti puniatur. Pro Ordine verò Minorum in specie in statutis Generalibus ad annum 1337. à Benedicto XII. collaborantibus pluribus Ecclesiæ Cardinalibus, & præcipuis Ordinis Fratribus (quos omnes Papa in Bulla : *Redemptor noster &c.* Statutis illis præfixa nominat) confectis, taliisque Ordini demandatis Cap. 6. præcipitur, ne Fratres ex locis suis vadant sine litteris testimonialibus, Obedientiam, & licentiam continentibus. . . Frater verò ejusmodi licentiam accipiens caveat, ne ad alia loca declinet. In statutis Fartheriis ad annum 1354. Cap. 5. accessus ad Romanam curiam specialius prohibetur.

Num. 28. Quia verò Matthæus Bassius, alii que, de quibus quæstio, fuerant apud Observantes expressè professi ; videamus statuta eorum specialia, quæ S. Joannes à Capistrano eorundem Vicarius Generalis, jubente, & approbante Eugenio IV. ad annum 1443. edidit, & quæ Cap. 10. sicut habent : *Competant insuper, cum studio, & sollicitudine tam Vicarii, quam Guardiani, Vagos, superfluos, & inutiles Fratrum discursus, quam maxime ad Romanam Curiam ; ad quam nulli liceat accedere, nisi cum speciali mea licentia, quam possint in scriptis ostendere, vel Vicariorum suarum Provinciarum, & Commissariorum earum, juxta intentionem sanctissimi Domini nostri, & Rmi*

Patris Generalis. Si quis fortè putet, Matthæo Bassio, sanctitate conspicuo, per sensa hujusmodi fieri injuriam ; recogitet, sanctos quoque Patres variis Patriarcharum veteris legis defectus attexere, & signanter votum Jephete stultum appellare : non obstante, quod S. Paulus ad Hebr. 11. ipsum Canonizet. Quod hic adnoto, ne M. Verinus denù me contradictionis arguat, eò quod Bassium laudaverim , quem adhuc cum devotione laudo , sed in hoc non laudo , nec laudare audeo.

Num. 29. Verum quidem est, quod ego etiam in primo meo Dialogo exemplum istius Fratris Teutonici adduxerim , pro legitimanda Fratrum de Familia aliquali , seu secundum quid separatione ; ast, qualem non inter hunc, & suprà quæstionatum casum est reperire disparitatem ? F. Paulus de Trincis (qui tali Reformationi initium dedit) Generali Ordinis Capiti per orationem voluit manere subjectus , nec contra obedientiam , vel pedem movit , quin potius de ipsius Ministri Generalis mandato , super novam Reformationem vices ejus gessit , illiusque Commissarium egit , uti testantur Litteræ patentes ad ipsum expeditæ , quas plures in manibus habeo. Patens insuper tunc à substantialibus Regulæ erat Conventualium fatis communis recessus , à quibus proinde hæc nova Reformatio , per vias statutariorum obedientiæ conformes , petebat , & à Generali Concilio Constantiensi impetrabat , quoad modum so-
lum .

Iummodò regiminis sejungi; ad quas circumstan-
tias utique poterat data F. Teutonico licentia si-
militudinariè extendi: præsertim, dum ad illius
usum, primi Fratres de Familia non progredie-
bantur, nisi conformiter ad statutorum iupræ al-
legatorum obedientiam; contra quam nec à Fra-
tre illo Teutonico licentiam usurpatam, nec à S.
Francisco arbitror fuisse datam. Unde F. Cæsarius
Spirensis (qui idem superiùs de Alamabiana in-
telligitur, & à Fundatione Provinciarum per
Teutoniā, sive etiam ratione Patriæ Teutonius
appellatur) non sub tali licentia ab Ordine un-
quam separatus, sed persequente F. Elia socios S.
Francisci, finaliter in carcere Ordinis mortuus
legitur, cujus animam Gregorius IX. in Calam
eūntem vidit, & Fr. Eliam (perorante potissimum
contra illum S. Antonio Paduano) à Generalatu
propter introductas laxitates deposuit. In nostro
autem casu, quò magis, sanctiùsque M. Verinus
Marthæum Bassium per licentiam Fratri Teutoni-
co datam, instruētum, animatum, & assecuratum
deprædicat, eò patentiùs Corpori Observantino
Injuriam infert, casum ad casum sub rationis, &
circumstantiarum paritate conferendo, quasi de-
fessiones substantiales, & communes à S. Francisco
prædictæ, jam in Ordine Observantino manife-
stiùs apparuerint; quod ipsum in Boverio Casti-
garum est.

N. m. 30. At verò insuper remotissimum est,
quod M. Verinus suprà Num. 23, in narratione

Historiæ fingens asserit , S. Franciscum illam
 licentiam dedisse : Si contingeret à Fratribus Re-
 gulam **non purè**, seu **minùs strictè** servari ; tum ,
 quia de tam debili datæ , & præsertim ad omnes
 extendendæ licentiae motivo , in illa historia nulla
 fit , vel appatens mentio ; tum vel maximè , quia
 vivente , & dolente ipso S. Patre , à Factione Eliana
non purè , & **minùs strictè** tunc temporis modò
 Regula servabatur ; Imò F. Elias cum duodecim
 in suam partem attractis Provincialibus in monte
 Palumbo S. Patri in faciem protestatus est , se non
 intendere Regulam sub tali rigore observare . Cur
 ergo tum mitissimus Pater cum sibi adhærentibus
 non abscurrit , seseque separavit , prout tanquam
 nullius in Ordine Obedientiæ alligatus facere po-
 tuisset ? Scisne quare : quia sanctius duxit , alio-
 rum ad fervorem redditum , suo ipsis exemplo præ-
 sens , patienter exspectate , Deumque pro ipsis
 in unione communium meritorum exorare ,
 quam non curatos deserere . Loquamur adhuc
 magis ad captum . Ex eo , quod extra dubium
 sit , in una Natione unam Provinciam **magis pure** ,
 alteram **minùs pure** , seu **minùs strictè** Regulam ,
 ordinatasque ad illam Constitutiones Capitula-
 res observare ; quod idem non raro in eadem
 Provincia de diversis Conventibus dici potest ,
 prout Provincialium respectivè , & Guardiano-
 rum zelus remittitur , vel intenditur ; ubi pro-
 inde , si cuilibet licentiam , tanquam sibi à S.
 Francisco in Fratre illo Teutonico datam , nedum
 posset

posset artipere , & ad instar Matthæi Bassii , & post ipsum Ludovici , & Raphaëlis , insalutato superiore immediato , abire sive fine sub prætextu purioris Observantiae (quæ in omni Ordine suapte naturâ suos gradus habet , suscipitque magis , & minus) Fratres præsertim Minores per mundum current , nullâ etiam petitâ immediatorum superiorum suorum licentia , quas utique confusiones S. Franciscus non intendit occasionare nec regulatus Ordo potest permittere .

Num. 31. Interim , ut supra visum est , Matthæus Bassius sive superiorum scitu Romanam pergit , Pontificem adit , petit licentiam singulare portandi Caputium , Pontifex annuit ipsi soli , ac socio , facta hâc potestate , sub restrictione , ut suis temporibus se sisteret suo Ministro Provinciali Observantium , prout rem breviter narrat Marcus Ullissiponensis Observans ; Ast (ut loquitur *Orbis Seraphicus* Tom. 2. Lib. 10. Cap. 1. Num. 3.) multas præcessisse visiones , & monitiones divinas , atque subsecuta miracula liberi accessus ad Pontificem Angelico Ministerio , ac sanationis repentinæ ab ardentissimâ febre , narrat Bizovius , totiusque narrationis fidem regerit in Marcum Ullissiponensem , hoc solo Authore citato . Diffusius multisque pagellis historiam prosequitur Zacharias Boverius ; atque hos omnes Hieretheana *Epitome* , quibus M. Verinus pag. 54. insistit , ut abeat post greges sodalium suorum .

Num. 32. At quidem , tametsi verus Ulissiponensis nihil habeat hujusmodi , licet tamen scriptores hos excusare; quia inciderunt in fictum quendam Ulissiponensem , apud quem leguntur hæc omnia. Sciendum itaque est , authorem hunc tertiam partem suorum Chronicorum lingua patria Lusitanâ scripsisse anno 1568. quæ lingua Castellanâ prodiit Salamanticæ anno 1570. Italicâ Venetiis anno 1591. in hoc idioma traducta per Horatium Diolam Bononiensem dedicata Gregorio XIV. in quibus editionibus nihil , quod ad Matthæum Bassium attinet , habetur , præter illa pauca , quæ lupa breviter diximus in initio num. 31. Apparuit tamen quarta (Author *Orbis Seraph.* dicit : nescio cuius studio.) fœcundior editio in eadem Urbe Veneta apud Erasmum Viotram anno 1598. ubi plurima addita sunt , & mutata , & magno Auctario per multa Capita à 16to usque ad 29num diffunduntur gesta Matthæi Bassii , ortus , progressus , & incrementa Capucinorum. Author hujus numerosæ mutationis nullibi se prodit , neque unde prodierit tam speciosum additamentum (addit citatus *Orbis Seraphicus*) potuit haçtenus ad plenum investigari. Fides ergo , quæ talibus adhibetur , non Marci Ulissiponensis est , sed ignoti , de quo si quereretur , cur sua addiderit Authori alieno , scilicet Ordinis Observantium scriptori ? utique se salvaret per illud , quod l. II. ff. de Testibus dicitur : *nullus idoneus testis in re propria intelligitur.*

Num.

Num. 33. Epitome Hierotheana , tentans quoad præmissa refutare Waddingum , dicit Ulissiponensi contigisse , quod ipsius expost contigit Waddingo , dum anno 1736. Romæ fuit reimpressus , ubi in marginibus sæpe habentur *additiones aliorum* ; Ast contra hoc stat disparitas : quod à tempore , in quo desinit Historia Waddingi , aliis usque ad nostra tempora illam prosecutus sit , qui insuper notamina hinc inde , & additiones ipsis Waddingi scriptis , distinctim tamen , addidit ; & tam dicta operis prosecutio , quam additiones hujusmodi , non authoritatem Waddingi prætendunt , sed illius duntaxat , cuius nomen Waddingo noviter impresso , & augmentato coinscribitur , sub verbis : *Operâ F. Josephi ab Eborâ* , de quo actum vide Cap. 1. n. 2. & 3. suprà . Proinde , quidquid Waddingi voluminibus accesserit , nominatum Authorem habet , de cuius fide ex ipso operis augmentatione posteritas habeat Judicare : nulla equidem timenda videtur S. Congregationis castigatio , nullaque adhuc est hic Continuator defictione suspectus . Contrarium accedit Ulissiponensi , cui additamentum ita accessit , ut hic illius à legentibus petat Author haberi , cum verus nullibi compareat . Sic ad S. Scripturam postillæ fiunt marginales , sub nomine proprii Authoris , quæ tamen , si ipsi Sacro textui inferuntur , illum corrumpunt .

Num. 34. Contra superiora adhuc objicit

B b 5

M.

M. Verinus pag. 67. Quòd Observantina Reformatio de licentia Ministri Generalis resurrexerit, Capucina verò orta sit *ex Validiore licentia: utpote, non per Ministrum Ordinis, sed per Vicarium Christi, per ipsummet inquam Pontificem Bassio, & Ludovico data.* Ast, an saltus ille (ut suprà visum est contra Ordinis statuta) præstantior sit, vel econtra, non disputo. Interim, sicut initialis S. Francisci Religio, ità & Observantina Reformatio, eatenùs etiam per Vicarium Christi ortum habet, quatenùs hic, ut approbans, formalis, est omnium Regularum Conditor, & non minùs statutorum suprà allegatorum; qui & æquè ordinatè procedit, dum mediantibus subalternis Superioribus, quām, dum illis seclusis per se ipsum nobiles effectus producit. Hæc tamen in nostro proposito stat differentia; quòd in uno casu Bassius pro se supplicat solo, & solus; in casu autem altero de consensu totius Ordinis (quem Minister Generalis extra Generale Capitulum, veluti in Capite repræsentat) petebatur, non personæ, vel personarum, sed Ordinis Reformatio.

Num. 35. Nihilomiùs post suprà citatam objectionem Mod. Verinus loco cit. quoad ortum Capucinorum immediatè subjungit: *Et hunc contra notissimum, veréque Canonicum Oratum Itinerantes nostri consurgunt, disputant, queruntur, sua verò Religionis incunabula, licet illi Capucinarum similia, à nemine non probari,*

ado-

adorarique pretendunt; imò à Capucinorum incunabulis longissimè differentia, sat aliè, & confidenter conclamant. R. Imprimis adorationem Ortus Observantini minimè prætendo, utpote, cuius non facio nomen nimis mysteriosum, nec per miracula dubia ultra modum illum Sanctifico. Deinde non queritur hic de Ortus S. Congregationis Capucinice, sed de primo abitu Matthæi Bassii, binorūmque de Fossembruno, sīnē petitā ab immediatis Superioribus licentia. Et nequidem de hoc mei Itinerantes consurgere, disputare, aut conqueri voluerunt; sed ad Lucam Waddingum Adversarium, disputare volentem, remiserunt. Tandem Ortum Capucinorum, nedum *Canonicam*, sed & Sanctum, Venerandumque concedo, absque eo, quod primam omnino illius positam occasione in teneat canonizare; quam equidem (si in suis modis & circumstantiis bona non erat) Deus in bonum ita convertit, ut nequidem Sacre hujusmodi Familiæ data hæc occasio indecora sit; prout Filiorum Israël in Ægypto multiplicationem Venditio Joseph non maculavit.

Num. 36. Utriusque autem respectivè Ortus differentiam, citra ullius præjudicium, sat aperte posuimus in eo, quod Observantina Reformatio à præexistente Ordinis Capite se nunquam diviserit, novumque ab hoc independens Caput habere in vanum noluerit. Contra quam differentiam M. Verinus cit. pag. in prima sua respon.

responsione frustrà pugnat, & in 2da me erroris arguit ipsem in æquivocatione labo-
rans: dum Capucinos æquè ab Ordine Minorum vult indivisos, quod ipsi respectu talis
Ordinis in tota sua latitudine, & per respectum ad eandem Regulam sumpti, nusquam negavi;
ubi proinde contra me, & pro ipso æquivoca non inducunt probationem; quia illud *non probat esse*, quod ab eo *contingit abesse*, ut dicitur
c. 2. de Translat. Praelat. & in l. neque *natales*
C. de probat. Interim error à me satis abstergitur suprà Cap. 6. & 7. ubi & pro ulteriori differ-
entia ostenditur, Corpus nostrum Observan-
tinum non in sola *trinciana* Reformatione (circa
quam M. Verinus se tantopere vexat, & parita-
tes conglomerat) non ponere sua incunabula;
utpote, quod sub Leone X. ex quatuor adhuc
aliis coadunatum est Ordinis Reformationibus,
quarum sectatores Trincianam illam nunquam
sunt secuti; & sic in insigni quodam, & ad-
modùm notabili *Minoritanæ* historiæ funda-
mento, ubique errant illi, qui de Corpore
Observantino loquentes, Trincianam Famili-
am, seu sic dictos aliquando *Observantes de*
Familia, olim secundùm quid, sive quoad
modum regiminis separatos, considerant, &
obtrudunt.

Num. 37. Nescio, qualiter M. Verinus à
pag. 77. usque ad 89. sub multiplicibus distin-
ctionum subdistinctionibus, ad summum se-
cundùm

cundum quid concedendum putet, Bassium ad Observantes rediisse. Ego fusiorem disputationem fugiens pro me adduco imprimis Epitomen Hierotheanam ad annum 1537., quae pag.
280. narrat: „ Interim Matthæus devotionis „ ergo Romam veniens, ac à nostris benevolè „ receptus hospitio (*hoc ipsum & mihi contigit*) „ ut iisdem referentibus discit, declarâsse, „ ac decrevisse Pontificem, Capucinorum ha- „ bitum non nisi ab illis, qui sub eorum Generali Vicario militant, licite deferri posse, „ Caputii sui cuspidem ad medium usque pal- „ mum lachrymans abscondit (*cur Capucinis obe- „ diendo, sicque cuspidem lucte retinendo, la- „ chrymas non temperavit?*) vel, ut alii volunt, „ à Capucinis abscondi permittit &c. „ Ex qui- „ bus eruo 1mō, Bassium ab anno 1529. (quo Superioritatis Capucinicæ Officium intrà unum trimestre, & accepit, & depositum) usque ad annum 1537. Capucinis non interfuisse; unde etiam dicta *Epitome* nullam interea de ipso facit mentionem. 2dō, Prout verba indicant, non militâsse sub eorum Vicario Generali, nec sub ejus obedientia stetisse; alias usum talis Caputii sibi interdictum non putâsse, nec nuntium hoc (etiam usque ad lachrymas) ipsi contrarium fuisse; consequenter, ne extra omnem Obedientiam vagaretur, ad Observantes tunc saltēm rediisse dicendus est, non indagando, cui- nam tempore istius nuntii, & longè ab ante
subje-

subjectus fuerit, dum sub Capucinorum Vicario non militaret.

Num. 38. Ego in meo *Dialogo Coutin.* pag. 90. dixeram, quod *Mattheus Bassius apud Filios, quos Capucinos genuit, non nisi ad 2dum, aut 3tum mensem permanserit.* Quod Verissimum est, si referatur ad tempus superioritatis Officii, quo propriè ut Pater respiciebat Filios. Hunc tamen locutionis meæ respectum, ut M. Verinus excluderet, studio nihil de Paternitate, aut Filiatione addens, sic mea Verba truncata pag. 84. citat, & Virgulat: *Mattheus Bassius apud Capucinos non nisi ad 2dum, vel 3tum mensem permanxit;* & sic tandem, me à tramite Veritatis recessisse ibidem pronuntiat; Licet nec ipse sat's probet, ipsum post Officii depositionem, ut Capucinum mansisse apud Capucinos. Imò suprà citata Hierotheana Epitome ipsum interea temporis extra Capucinorum Obedientiam Romanam venisse, sufficienter insinuat; vel assignetur annus, quando illam Obedientiam deposuerit, quam Romanam non asportavit: vel sub quoniam interea, quà Religiosus steterit, dum Romanam veniens *sub Capucinorum Vicario non militabat.*

Num. 39. Deinde pro stabiliendo meo asserto, quod M. Verinus putat se oppugnare, & quod equidem circa tempus talismodi redditus ex Verbis meis sat's indeterminatum fuit; adduco *Arturum* in Martyrol. Franciscan. ad diem

3. Augusti §.8. dicentem : „ Matthæus Bassius ...
„ hujusmodi Caputum dimisit, & sub obedi-
„ entia PP. Observantium rediit; Deinde acceptâ
„ benedictione Reverendissimi Ministri Gene-
„ ralis, cœpit, ut prius, varias Regionum Provin-
„ cias concionando perlustrare. Hinc in Ger-
„ maniam usque perrexit, ubi anno Christi
„ 1547. die 27. April. Bello adfuit, quo Ca-
„ rolus V. Imperator Ducem Saxonie cepit,
„ & omnium Principum Hæreticorum Copias
„ fudit, ac prostravit... Quod, si in favo-
„ rem Cæsareae Majestatis signa tunc in Sole
„ edita sunt, quæ futura erant indicia Victricis
„ fortunæ (juxta Florimundum Lib. 3. Cap. 16.)
„ id profectò ausim attribuere precibus ipsius
„ B. Matthei Bassii, qui tunc temporis, miro
„ Spiritu servore, præbat exercitum, cru-
„ cem ligneam gestans in manibus, milités-
„ que Catholicos excitans ad prælium contra
„ Adversarios, quorum telis nec in minimo
„ lœsus extitit. „ pro quo citat multos Autho-
„ res, & deinde narrat, qualiter in Italianam re-
„ versus, cum prædicationi, aliisque piis exer-
„ citiis incumberet; Venetiis in supremum mor-
„ bum inciderit in æde Curati Parochiæ S. Moy-
„ sis, juxta templum S. Marci. Visitatus autem
à quodam Patre Minore Observante, ab eo
auditus est in Confessione, quâ peractâ, paulò
post Spiritum Deo reddidit die Sabbathi anno
1552. ætatis suæ anno 57. deportatus ad Con-
„ ventum

ventum Fratrum Observantium, S. Francisci
in Vinea nuncupatum, ibidem inter suos sepul-
tus est. Quod autem M. Verinus dicit, Con-
fessarium Observantem Bassium interrogâsse:
cur ab Observantibus recessit, palea est.

Num. 40. Dum autem M. Verinus loc. cit.
in nota 2dō in Verē redeunte Religioso requirit:
*Stare, agere, se vestire, reliquāmque vita Me-
thodum tenere, iuxta solitum Religiosæ commu-
nitatis sua &c.* Dico imprimis, sub talibus Sym-
bolis Matthæum Bassium intrâ annum 1525.
usque ad 1529. vix per medium annum, &
fortè, non ultra tres menses fuisse Capucinum:
nam Communitatem facere, ipsis primum per-
missum est anno 1528. per Bullam *Religionis
Zelus.* Expost Bassius (qui post suprà mentio-
natam revocatoriam, primò redierat) denuò ad
illos accessit, & superior electus fuit; quo sat
brevi tempore cum illis stetit, egit &c. ut suprà.
Deinde quæro: An ergo nostræ Provin-
ciæ v. g. Missionarii in Hollandia, qui suprà
dictis Symbolis non utuntur, non sint veri Re-
collecti, Ordini, ac Provinciæ incorporati?
ubi utique dicendum, quod sic: aliàs illorum
superior ad singula triennalia Comitia cum voto
activo & passivo, sicut alii Guardiani, non ac-
cederet. Verbo, ut me absolvam: ille est
verus, veréque Observantino Superiori sub-
jectus, Ordinique incorporatus, & obediens
Observans, qui in talibus locis, inque talibus
vitæ,

vitz, & actionum circumstantiis stat, agit, & se vestit, in quibus hujusmodi Superior eum vult stare, agere &c. Minister autem Generalis Observantinus Bassium habere voluit Prædicatorem, Missionarium, Patrias obeundem, dum ipsum à Capucinis reducem (teste Arturo supra) datâ cum benedictione Obedientiâ, pro prædicatione mittebat, vel saltè ad petitionem ejus ire permittebat.

Num. 41. Quale autem interim, cujusque formæ Caputium portaverit, de hoc non constat, nisi, quòd Capucinicūm (ut superiùs refert Hierotheana Epitome) deposuerit, vel saltè, ne ut tale appareret, aut ipsi in signum Capucinicæ subjectionis foret, abscederit, aut, quantumcunque lachrymans abscondi fecerit. Hæc sunt, quæ illis à M. Verino per duodecim paginas circa redditum Bassii dilatatis, breviùs oppono, ne denuò dicat, me paginas voluisse implere: ubi fateor, quòd hinc & inde longius exeam, sed non nisi ab eo ductus, & tractus; Lectoribus interim problema sit, an mihi potius, quam illi attribuendum sit illud, quod Juvenalis Satyrâ Ima de opere, sicut argumentorum pondere, nimium excurrente dixit: *Scriptus & à tergo nondum finitus Orestes.* Nec non illud, quod in C.l. 2. §. Sed & aliquid. Monet Justinianus: *Multò utilius est, pauca idoneè effundere, quam multis inutilibus [probam non facientibus] homines pragravare.* Non

dubito equidem, quia posset, velléisque M. Verinus mihi nonaginta rationibus probare, quod non debeam esse prolixus; prout narratur de quodam, cui Papa ob assuetos fusiores sermones, nolebat date audientiam, quam nihilominus aliquando nactus, dixit Papae: Non vereatur vestra sanctitas, quod velim esse prolixus, quia, antequam ad rem veniam, nonaginta novem rationibus probabo, quod debeam esse brevis. Dum autem mea argumenta, defensionesque in suo *Discursu* pag. 73. Polemicè vocat: *Eruktiones post prandium*; suis forte prænotaminum prænotationibus reservat dictum Taciti: *omne supervacaneum pleno de pectore manat.* Scit interim, ubi mei Itinerantes religiosum, symbolicumque prandium sumpferint, invitati à F. Semproniano: pro quo vide *Dialogum Cont.* pag. 108.

Num. 42. *Pleno de pectore Hierotheana Epitome* aliquando pronunciaverat, successionem Hierarchicam (in qua stat Ordinis primatus) si ipsis Observantibus, tunc PP. Capucinis à potiori competere. Ubi dum ego illud à potiori non capiebam, M. Verinus pag. 22. contestatur, R. P. Hierotheo non fuisse sermonem de primatu, sed de *Reformatione, de voto, & de professione;* consequenter subjungit, quod ipsa simplicitas primis oculis videat, ipsum per hoc in strictiorem sui Ordinis Observantium, majorēisque perfectiōnem præ Observantibus, sique à potiori, inten-
disse.

disse. In cuius Conformatatem pag. 161. dicit, Capucinos strictius quibusve ceteris ipsam Regulam profiteri. Quod etiam pluribus in locis reiterat, & veluti manifestum supponit ; Unus per hoc Hierotheanum sensum explicans, & à questio- nata successione Hierarchica recedens, pag. 66. asserit, me frustâ timere, & angipropter prærep- tionem primatūs.

Num. 43. Ubijimprimis respondeo, menun- quam timuisse præceptionem illius, quod in pri- mo meo Dialogo, sive Capucinorum mentione, attribueram Observantibus, reflectens ad dictum Horatii : *Primus in Orbe Deos fecit timor*, scilicet vanus vanos. Deinde nescio, an legalis, & Hie- rarchica Ordinis successio strictiorem præcisè de- beat sequi Observantium Regulæ : quia per pos- sibile contingere posset, quod Observantes stri- ctiorum adhuc præ Capucinis Observantium (si illam amiserint) novâ Reformatione universali recuperarent, & deinde exposit PP. Capucini ad altiorem adhuc præ illis perfectionem reas- surgerent ; sicque non vanè, sed verè timenda foret successionis Ordinis continua de Familia ad Familiam transmigratio , prout etiam innui in 2do meo Dialogo. Si autem R. P. Hierotheo de strictiori Observantia, & mihi (prout videre est) de Hierarchica successione tractatus erat, fru- strâ me oppugnavit per suum illud à potiori, non versans mecum circa idem objectum. Tandem addo, quod legalis, & hierarchica Ordinis, ad

modum cuiusdam Monarchia fundati, successio, non possit in uno Ordine esse, nisi una; ne alias Hierarchia unitas foret bi-vel triceps, multiplicatis in eadem Hierarchis à se invicem independentibus; sique iterum ruit illud à *potiori* saltēm casu, quo Observantibus adhuc partem successionis illius relinquere voluisse; quam equidem totam habent.

Num. 44. Quantūm autem ad quasitum, an Observantes respectu Capucinorum habeant institutum mitigatum, prout M. Verinus pag. 23. putat se probare? & an Capucini strictius quibusvis Cæteris Minoritani Ordinis Reformationibus Regulam profiteantur? esto, quod in formula utriusque professionis nullum proorsus verbulum differentiale inveniam; non respondeo, ne prolatas ab aliis malesonantias reprobans, ipsemet comparationem faciam, meāmque alienæ Observantiae p̄feram; nam unum idēmque reputo, querere: *quis eorum videretur esse major*, quod M. Verinus pag. 66. à se removens mihi attribuit; & querere: *quis eorum videretur esse observantior*, quod expansis brachiis ad se atripit, Capucinisque p̄ obseruantibus attribuit.

Num. 45. Lubet equidem h̄c adducere modestissimum, Verissimūmque responsum ad hanc quæstionem de strictiori utriusque Familiae Observantia, aliquando in scriptis ad requisitionem datum. Cùm enim in Provincia Cataloniae, atque etiam (ut refert Orbis Seraph, Tom. 2. lib.

lib. 10. cap. 3.) aliquibus Galliae Provinciis FF. Capucini liberè reciperen Fratres Minores Regularis Observantiae ad se transeuntes , nullâ habitâ ratione ad determinationes factas annis elapsis à Paulo III. & Julio III. summis Pontificibus ; supplicatum fuit Ssmo Domino Sixto V. ut de remedio opportuno prouidere dignaretur , qui, cùm totum negotium commisisset cuidam Congregationi Cardinalium examinandum , Praeses Congregationis, qui erat Illustrissimus Cardinalis Antonius Caraffa , Rmo Patri Francisco à Tolosa Ministro Generali tres sequentes quæstiones , ut illis satisfaceret, proposuit.

1ma : Utrum Ordo Capucinorum sit idem cum ordine Fratrum Minorum strictioris Observantiae ?
 2da : Utrum Institutum Capucinorum sit arctius,
 & strictius Instituto Fratrum Minorum Regularis Observantiae ?

3tia : Qualiter intelligendum illud ex Cap. 10.
Regula S. Francisci : Ubiunque sunt Fratres,
 qui scirent , & cognoscerent , se non posse Regulam spiritualiter observare , ad suos Ministros debeat , & possint recurrere ? Quibus Quæstionibus praefatus Minister Generalis in hunc modum satisfecit :

Num. 46. „ Illustrissime , ac Rme Domine !
 „ Animo quidem potius obtemperandi præcepto
 „ Illustrissimæ Dominationis vestri , quam in
 „ certamen egrediendi cum Rmis PP. Capucinis
 „ (quorum Institutum religiosum , ac refertum

„ omni disciplinâ regulari meritò debet laudari)
 „ me subjicio, & accingo ad satisfaciendum scrip-
 „ to (prout mandatum est mihi) quæstionibus
 „ ab J. D. V. propositis. Novi enim, quam ducè
 „ ferantur apud Monachos discussiones Quæ-
 „ stionum, quæ subolent magis, vel minus rigi-
 „ dam, atque strictam vitam; nec facile quis poterit
 „ in definiendis hujusmodi causis effugere suspi-
 „ ciosem, vel proverbium, quod quisque suas
 „ lavat lactucas. Contestor verò Deum scruta-
 „ torem cordium, non mihi subesse animum
 „ lacessendi aliquâ injuriâ RR. PP. Capucinos in
 „ meis responsionibus (quorum Religiosam vitam
 „ semper commendavi) sed satisfaciendi magis
 „ votis J. D. V., ac videndi plus correctam, ac
 „ reformatam libertatem tam liberam, quam
 „ Fratres de Observantia sibi usurpant, transfe-
 „ rendo fē ad PP. Capucinos, citra aliquam suo-
 „ rum superiorum licentiam; & quod etiam
 „ PP. Capucini liberiori animo, quam opus sit,
 „ in suam suscipiant societatem Fratres nostros
 „ Apostatas: unde quam plurima incommoda,
 „ & scanda subsequuntur tam Fratribus de Ob-
 „ servantia, quam etiam præfatis FF. Capucinis.
 „ Quare non possum non instanter, & humiliiter
 „ rogare J. D. V. ut consideratis cunctis, quæ
 „ hic differuntur, de opportuno remedio ad se-
 „ curitatem nostrarum conscientiarum, pacem,
 „ ac quietem communem utriusque Instituti
 „ provideant circa hujusmodi transitum, ante-

quam

„ quam cuncta in deteriorem cedant statum.
„ Ut igitur ad responcionem quæstionum acceda-
„ mus , tres proposuit mihi J. D. V. quæstiones,
„ quarum prima est: *Utrum Ordo Capucinorum*
„ *sit idem cum illo FF. Minor. Regularis Obser-*
„ *vantia?*

Num. 47. Huic Quæstiōni, brevitati studens,
„ respondeo, quod anno 1525. F. Mattheus
„ Bassius Regularis Observantiae Alumnus strictæ
„ vitæ inhians , dedit initium Instituto FF. Ca-
„ pucinorum ; ac anno 1528. Clementis VII.
„ Pontificatus sui anno 5. illorum Institutum sta-
„ bilitum est , & anno sequenti 1529. eorum
„ Vicarius Generalis electus est , atque ab hoc
„ tempore præfati Fratres divisi , ac distincti sunt
„ ab Instituto Fratrum Regularis Observantiae,
„ sub suo Vicario Generali extra Obedientiam
„ Ministri Generalis totius Ordinis , & similiter
„ sub alio protectore , Correctore , & Guber-
„ natore : vivuntque sub diversa forma habitūs,
„ reguntur etiam suis peculiaribus statutis , tam
„ Variis à nostris , quod facile potest dici , quod
„ sit distinctus Ordo , quatenus Fratribus de
„ Observantia , etiam Recollectis , sive Discal-
„ ceatis , qui ad ipsos accedunt , annum affig-
„ nant probationis , ac si essent sacerdtales : ac tunc
„ demum expleto anno probationis , ad profes-
„ sionem admittunt. Ex hoc potest dici , quod ex
„ nobis exierunt , permanenter autem , à nobis
„ distincti , ac divisi , in sua sanctitate , ac puri-

„ tate Vitæ regularis. Est quidem idem Ordo
 „ secundum Regulam, diversus verò ratione sui
 „ Instituti distincti; cùm non subsit unico Mi-
 „ nistro Generali totius Ordinis, cui ex Regula
 „ tenentur omnes Fratres firmiter obedire, ex
 „ cap. 8. Regulæ, & sub uno Protectore ex
 „ Cap. 12.

Num. 48. „ Quæstio 2da: Utrum Institutum
 „ Capucinorum sit arctius, ac strictius Institutum
 „ Fratrum Minorum Regularis Observ. ? Dico,
 „ quod secundum latitudinem nostræ Regulæ, ac
 „ summorum Pontificum Expositionem, Ordo
 „ FF. Minorum Regularis Observantia constet
 „ Fratribus Observantibus, Recollectis, ac Dis-
 „ calceatis, qui omnes secundum Regulam uni-
 „ cum habent Ministerium Generalem totius Or-
 „ dinis; eum videlicet, qui solus dicitur Mini-
 „ ster totius Ordinis Minorum ex Declaratione
 „ fel. record. Leonis X. quatenus ipse solus, tan-
 „ quam successor Legitimus B. Patris nostri Fran-
 „ cisci, tenet Sigillum totius Ordinis; & omnes
 „ Fratres, qui sub ejus Obedientia militant,
 „ dicuntur Fratres Minores Regularis Observan-
 „ tie. Quoniam autem B.P.N. Franciscus re-
 „ liquit in suo Ordine, & sub sigillo, semen suæ
 „ puritatis, ac disciplina Regulatis, & Filios
 „ Abrahæ sectatores Vestigiorum Patris nostri,
 „ Viros omni Virtute, & religione Cumulatos,
 „ qui antiquæ viræ nitorem, ac rigorem strictæ
 „ vita conservarent: antequam PP. Capucino-

„ rum

rum Institutum inchoasset, anno 1502. Pater
„ Marianus Boulier ultra-montanus Vicarius
„ Generalis, in Generali Congregatione cele-
„ brata in Provincia Castellæ, ex communicon-
„ sensu omnium Patrum, humiliores domos, &
„ ab hominum frequentia magis semotas, & ad
„ arctiorem vitam magis accommodatas destinavit
„ in singulis Hispaniarum Provinciis, & Custo-
„ diis, in quibus Fratres, qui arctoris vitæ de-
„ siderio tenebantur, commorari possent, eás
„ que nuncupavit *domos Recollectas*. Anno vero
„ 1517. Provinciæ Discalceatorum due, nempe
„ Provincia Angelorum, & Provincia Portu-
„ galliæ, cum magna rigiditate, & austerioritate
„ vitæ institutæ sunt. Anno item 1519. Pro-
„ vincia S. Gabrielis Discalceatorum erecta est,
„ & anno 1560. Provincia de Rabida Discal-
„ ceatorum, & anno 1561. Provincia S. Jose-
„ phi Discalceatorum item 1568. Provincia S. Anto-
„ nii Discalceatorum, & novissimè 1577. Pro-
„ vincia S. Joannis Baptista consurrexit; sic neim-
„ pe, quod in Regnis Hispaniarum septem mo-
„ dò sint Provinciæ Discalceatorum sub obedi-
„ entia, ac Ministerio Ministrorum Generalis FF.
„ Minorum Regularis Observantie. Nulla vero
„ est Provincia, quamvis exigua, quæ ad minus
„ duos, vel tres Conventus Recollectorum non
„ habeat, plures sunt, quæ 5. 6. 7. & 8. habent
„ Conventus, pro necessitate, & desiderio Fra-
„ trum inhiantum ad arctiorem vitam. Et in

Cc 5 „hac

„ hac Religiosissima Familia Cismontana facile
 „ est videre ex statutis editis à Rmo P. nostro
 „ Francisco Gonzaga Ministro Generali totius
 „ Ordinis, ac summae Observantiae sectatore,
 „ pro Fratribus Recollectis, quām severam, &
 „ strictam in suis Conventibus agant vitam. At
 „ quotiam non dectrevi discutere quæstionem ex
 „ sua natura injuriosam, ne videar nostras potius
 „ agere partes, quām alienas, satīs mihi videor
 „ fecisse, describendo formam, & Institutum
 „ vivendi Fratrum Recollectorum, ac Discal-
 „ ceatorum viventium sub obedientia Ministri
 „ Generalis Regularis Observantiae. *Hic allego-*
 „ *vit statuta, quæ omitto.*

Num. 49. 3tia „ Quæstio : Qualiter intelli-
 gendum illud ex Cap. 10. Regula S. Francisci :
 „ Ubiunque sunt Fratres, qui scirent, & cog-
 „ noscerent, se non posse Regulam spiritualiter ob-
 „ servare, ad suos Ministros debeant, & possint
 „ recurrere ?

„ Ad hujus loci exactam expositionem, quam
 „ J. D. V. petit, in medium profetam senten-
 „ tiā Seraphici Doctoris B. Bonaventuræ, qui
 „ præter hoc, quod mira sanctitate, & erudi-
 „ tione nostrum Ordinem illustravit, præcipuam
 „ etiam apposuit operam, ut relinqueret nobis
 „ digestam mentem Regulæ B. P. N. Francisci :
 „ quando igitur in ipsa, quam edidit, Regulæ
 „ nostræ Expositione ventum est ad hunc locum,
 „ dicit sic : Ubiunque sunt Fratres, quis scirent

„ per

per experientiam, & cognoscerent per Judicium
rectum, non posse in his, quæ Spiritualia sunt,
cum tranquillitate cordis, ut in consortio Mu-
lierum, vel propter corporis necessaria, si ha-
beri non possint alicubi salvâ Ordinis puritate,
vel propter similia: quod tunc temporis debeant
recurrere ad suos Ministros, debent quippe Mi-
nistri esse refugium afflictorum, gerentes vices
Domini dicentis: Venite ad me omnes, qui
laboratis, & onerati estis, & ego reficiam
vos. Recurrere igitur possunt eo tempore ad
suos Ministros per se, vel per Nuntium, for-
mâ tamen statutorum servatâ in eundo, quia
istud debitum non est exceptum ab Obedientia
statutorum. Hæc Seraphicus Doctor.

Num. 50. Ex his verbis licet colligere,
quod non semper, nec quando volunt, Fra-
tres pro suo arbitrio, habere possunt recur-
sum ad suos Ministros: oportet enim ipsos
primò scire per experimentum, se non posse
in tali loco Regulam Spiritualiter observare;
non enim sufficit ad hoc credulitas, vel op-
nio. Alterum est, quod cognoscant illam
impotentiam servandi Regulam Spiritualiter
per rectum Judicium, non autem per per-
turbatum aliquibus occasionibus humanis,
nec per judicium phantasticum. Ultimò
requiritur, quod Fratres volentes habere
recursum ad suos Ministros, observent sta-
tuta Ordinis: non est enim æquum, ut

Fra-

„ Fratres proprio moveantur arbitrio ad hu-
 „ jusmodi recursum, sed secundūm dispositio-
 „ nem statutorum Ordinis. Est autem di-
 „ spositum in Ordine, ac lege sanctum, quod
 „ Fratres Regularis Observantiæ, sinè licentia
 „ Guardiani, sub pœnis Apostasie non egre-
 „ diantur à septis Monasterii, etiam prætextu
 „ præsentandi se Ministro Provinciali. Quod,
 „ si queratur, quidnam sit agendum, si Guar-
 „ dianus nollet concedere licentiam? Respon-
 „ deo ex mente Seraphici Doctoris, quod ha-
 „ beat recursum ad Ministrum per nuntium;
 „ quod, si non potuerit habere commoditas
 „ tem nuntiorum; tunc petitâ licentiâ pluries à
 „ Guardiano, & assignatâ coram eo itâ legit-
 „ mā causâ, ut Judicio aliorum discretorum sit
 „ rationabilis, accedere potest ad Ministrum
 „ petitâ, & non obtentâ licentiâ. Arg. in cap.
 „ Licet cum multis similibus de Regular. Si
 „ tamen à Guardiano, & aliis Fratribus Di-
 „ scretis videretur, quod talis Frater non ha-
 „ beat legitimam, & rationabilem causam,
 „ præfatus Frater magis credere tenetur sen-
 „ tentiae communi Patrum, quam proprio
 „ Capiti, pro quo facit, cap. I. & cap. ne in-
 „ rit. de Constitutione. Unde manifestè liquet,
 „ quod non liceat hujusmodi Fratribus subditis
 „ semper, & pro suis votis, & arbitrio ha-
 „ bere recursum ad suum proprium Ministrum
 „ absque examine, & probatione suæ causæ,

„ &

„ & sine licentia sui Guardiani. Multò igitur
 „ minus poterunt recurrere præfati Fratres Re-
 „ gularis Observantiae ex propriâ sententia, &
 „ sine licentia suorum Superiorum ad Ministros
 „ extraneos, cujusmodi sunt Patres Capucini.
 „ Unde ex hoc etiam loco Regulæ nostræ in-
 „ terdicitur, & prohibetur Patribus Capuci-
 „ nis libera licentia, & facultas, quam afflu-
 „ munt in suscipiendos Fratres subditos extra-
 „ neos, quorum ipsis non sunt Ministri., Hæc
 sunt Illustrissime Domine, quæ &c.

Num. 51. His responsionibus auditis Eminentissimi Cardinales, quibus negotium com-
 missum fuerat, decreverunt, ut Breve expe-
 diretur, sicque factâ relatione ad Sextum V.
 Pontificem prodiit Bulla, quæ incipit: *Pro eo &c.*
 sub dato Romæ die 28. Jan. 1586. in qua, sub
 pena perpetuae inhabilitatis ad omnia Officia
 eò iplo incurrendæ, sibique nullitate actuum
 attentatorum, non obstantibus quibuscum-
 que &c., prohibetur tam PP. Capucinæ Ob-
 servantinorum receptio, quam his accessus ad
 eosdem. Licet autem adductarum superius
 duarum quæstionum resolutiones ad præfens
 non spectarent; omnes tamen hic adduxi, qua-
 rum præsertim ultimam poterit benevolus Le-
 ctor referre ad Num. 25. suprà, ubi partes te-
 nui Lucæ Waddingi, quem *Discursus Polemi-*
cus putat se ibidem refutare, quoad pœnas
 Apostasie à personis quæstionatis nequidem

pro

pro foro fori incurse. Ex 2da autem responsione apparet, qualiter Ordo respectivè ad Ordinem similis, imò ejusdem professionis, ad quæstionem: quis eorum videretur esse strictior? oporteat suadente Charitativâ Modestâ respondere.

Num. 52. Interim adducit M. Verinus pag. 23. licentiam ex Sacra Pœnitentiaria alicui Recollecto, ut ad Capucinos transire valeat, datum, in qua habetur, *petitio tua continebat, quod tu Zelo majoris perfectionis &c.* Ex quibus terminis infert Capucinos Recollectis esse Strictiores. Verum respondeo, Curiam Romanam similes expeditiones facere juxta allegata potentis, qui utique Zelum majoris perfectionis allegat, qualis etiam hinc inde rationalis esse potest ex eo, quod (sub identitate etiam professionis, atque obligationis substantialis) alius ad hanc, alius ad istam particularis Ordinis alicujus consuetudinem piè magis afficiatur: sic unus E. g. invenit se magis ad Deum excitari per diurnum, nocturnumque cantum, solemniorēmque divinorum persolutionem, Ordini Minoritico, uti ostendimus, coëvam; alter, ad Cantum forte ineptus, plus putat se submissiore Officii persolutione erga Deum afficiendum: absque eo, quod in uno Ordine præ altero, major absolute afferenda sit perfectio. Et sanè (ne nobis similia exempla desint) P. Bruno Bibeaux, modo in Provincia Recollectina

Flan-

Flandrica professus, dum ab ante Leodiensis Provinciae per 20. annos fuisset Capucinus, ante annos circiter totidem, ex simili specificato, & ex variis particularibus allegationibus probato Motivo, fuit pro transitu ad Recollectas licentiatus. Et dum hic Pater mihi nuper in persona aderat, allegata Romæ motiva sua mihi in scriptis ostendit; in quibus protestabatur, se (cùm plenus esset viribus) nolle dispensationem, velléque se cum gratia Dei, Regulam S. Francisci integrè ad litteram observare, inter quæ motiva per omnia reucebat illud *de intentione majoris perfectionis*. Unum autem penes se non habebat, scilicet copiam impetratæ licentiæ, quam etiam (ne aliis nimis molestus essem, dum determinatum illius Archivium nesciretur) non studui obtinere; fide tamen Sacerdotis mihi testatus est P. Bruno iste (qui per duodecim ferè annos inter Capucinos Antonomasticè appellatus fuit *Charissimus*) quòd præter expressionem illius motivi, bis in illa fuerit expressum: *ad Recollectas Strictoris Observantia*. Ex quo tamen (ob superiora dicta, & sensa mea) pro Strictiori respectivè Recollectorum Observantia non formo argumentum, sed illud à M. Verino ex talibus adductum evacuo, non offensivè, sed defensivè procedens.

Num. 53. Vacuum similiter est argumentum, quod Magister noster innominatus eâdem

pag. 23. adducit, dum refert, quod postquam Urbanus VIII. in Bulla: *Injuncti nobis, decreverat, Capucinos absque speciali S. Sedis licentia ad Ordinem laxiorem transire non posse*; & quod Innocentius X. deinde declarasset, Constitutionem illam habere locum in *Congregationibus Ordinis S. Francisci, Minorum de Observantia, seu Recollectorum, seu aliorum Instituti mitigati*. Ex quibus ultimis verbis *Epitome Hierotheana* sustinuerat, Institutum Recollectorum patenter declarari *Mitigatum*. Quod consequenter M. Verinus defendit, absque eo, quod rationabiliter meum istorum Verborum intellectum infringat, vel aliquo argumento tangat, putans fibi sufficere, si verba Hierotheana repereret; Responderam namque ego, Pontificem, sicut *Congregationes Ordinis S. Francisci* adducit, sic etiam enumerare voluisse omnes Minitanas Familias; unde, dum post enumeratos Observantes, Recollectos, & Reformatos, meminit etiam *aliorum Instituti mitigati*, utique comprehendit PP. Conventuales, præfertim, cum Recollecti, aliisque ibidem nominatim enumerati, non sint *alii*, à se ipsis.

Num. 54. Nec obstat, quod M. Verinus pag. seq. contra hoc adducit dicens: *Quastio erat, an duo Capucini, Desertores sui Ordinis, ab Observantibus autem recepsi, deliquerint in Confusione Urbanam, prohibentem, ne Capucini transeant ad Ordinem laxiorem, sine speciali*

ciali licentia Sedi Apostolice? Nam imprimis nego Bullæ intentum, vel contentum principale esse, ne Capucini transeant ad Ordinem laxiorem sive licentia Sedi Apostolice, in quo M. Verinus suum potissimum fundat argumentum. Cùm enim talis transitus de se, & ex ipsa natura voti, siveque de Jure divino, licet minus stricto, de Redditione Votorum, semper censetur, & extra novam declarationem Pontificiam intelligatur esse prohibitus, talis Bulla actum ageret; quod, si forte tibi, saltè non mihi est tenendum. Bulla ista Urbani VIII. (quam studio quæsitam, deficiente mihi Bullario, invenire non potui) prohibuerit utique Capucinis transitum ad alium Ordinem, sicut alia superius à Nobis adducta interdixit Observantibus transitum ad Capucinos, per quos ego ex hoc minimè intelligo laxiores, prout M. Verinus Observantes apprehendit, & depraedicat. Unde & forte hic transitum *ad Observantes, & ad laxiores* venditat pro Synonymis. Rogo interim, ut benevolus Lector Bullam revideat, si eam inveniat; allegationes enim M. Verini, utpote saepius inventi, mihi hinc, & inde non possunt non esse suspectæ, juxta illud (quod alibi oppugnat) *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

Num. 55. Et ecce! dum hæc jam scripsoram, incidit mihi, ut ad ipsam Hierotheanam Epitomen pro cognitione illius Bullæ recurre-

rem. Et cùm M. Verinus Bullam dicat esse datam die 10. Augusti anno 1628. inveni Epitomen ad istum annum pag. 373. referre, qualiter isto anno Urbanus VIII. inhibuerit Capucinis, ne quis eorum nedum ad Ordinem laxiorem, sed & *ad alium quemcunque Ordinem*, aut *Congregationem*, eti^s *Strictiorem*, transire præsumat; imò ne *ad Carthusiensem Ordinem* quis transeat *sine Scripta Ministri Generalis licentia*. Quam inhibitionem aliunde ipsi etiam habent Observantes. Videt proinde Cordatus Lector, qualiter noster Dominus M. Verinus in Legem **Corneliam** offenderit, liber interim ab illius Severitate. Quæso mi M. Verine! vel (utì mihi ferè ubique alloqueris) dic Sodes! potuissēsne (si genuinum Bullæ intentum fideliter allegāsses) tale formare argumentum: Bulla prohibens Capucinos ad Ordinem laxiorem transire extenditur etiam ad Recollectos, ergo Recollecti habent Ordinem laxiorem. Verius enim alle-gante R. P. Hierotheo suprà citato, Bulla prohibuit transire etiam ad Ordinem, seu Congregationem *Strictiorem*, ex quo manifestè ruit argumentum, quod formāsti, & quod equidem ut formare posse, sensum cotrupisti. Si ego more tuo amarem contendere, dicerem Recollectos exinde intelligi Strictiores, utpote ad quos talis intentum Bullæ, transitum etiam ad Ordinem *Strictiorem* prohibentis, erat spe-cialiter extendendum. Patet etiam ex hoc si-

deliter

deliter relato Bullæ contento , quasiter intelligi petat illud : aut aliorum Instituti mitigati ; scilicet , nec ad hos , nec ad illos .

Num. 56. Cùm itàque Constitutiones hujusmodi fiant , & factæ sint ad communem Ordinum pacem , ac tranquillitatem , non intendunt pontifices , per hujusmodi illos , ad quos transitum prohibent , declarare laxiores ; ne alias & ipſi PP. Conventuales intelligentur strictiores , dum & his transitus ad Capucinos æquè , ac ad Observantes , seclusâ sedis Apostolicæ licentiâ , est , & manet interdictus . Si autem M. Verinus rationabili huic intellectui non velit accedere , credat saltēm pontificibus ex certa scientia declarantibus , quod Corpus Observantium in nulla unquam Regulæ obligatione admiserit dispensationem , seu mitigationem ; imò si quæ forsitan in alicujus imaginativam irrepsisset , illam cassant , revocant , & annullant ; prout in ipsiusmet Urbani VIII. Bulla , quæ incipit *Sacro-Sanctum* . est videre de anno 1625. quara ad longum adduxi suprà Cap. 2. N. 33. Et de anno 1679. in alia Innocentii XI. quæ incipit *Sollicitudo Pastoralis* . Cujus extraðum legere poteris ibidem N. 32. Frustrà proinde obtrudit M. Verinus , Recollectos à pontifice sat apertè declarari *Mitigatos* .

Num. 57. Sicut interim ad hujusmodi transitum potest aliquando dari causa legitima , ità communiter levitati adscribendum judicatur , cùm p̄fertim parēs inter Religiones discurratur .

Pro quo duorum testium omni exceptione majorum juvat hic adducere irrefragabile testimonium. B. Petrus Nicolaus Factor in Valentina Observantium Provincia Recollectus ad Capucinos, tunc in ceteriori Hispania novos, magnâque famâ celebres, quietis, perfectionisque majoris spe allectus convolavit; Verum spe frustratus, & ad suos regressus, nec non sapientissime de utriusque partis differentia interrogatus, ubique Deum esse, ubique Seraphicam observari Régulam, ubique sanctos vivere respondit. Cùm autem super eodem quæsito venisset ad eum F. Lucas de Solas è Provincia S. Gabrielis Observans Discalceatus, transitum ad Capucinos jam gerens in corde secretum; Factor virum aliâs incognitum proprio nomine salutavit, secretumque cordis arcanum integrè propalans, hæc addidit: *Transibis ad Capucinos, sed non majorem ibi; quam in tua Provincia perfectionem comperiens, citius regredieris ad tuos.* Stupens Lucas nominis, & secreti revelationem, acquievit aliquando B. Patris monito: sed tandem antiqui propositi tenax, ad Capucinos transiens, & ab iis citò regrediens, Factoris prophetiam integrè complevit. Ita refert *Orbis Seraph.* ex aliis, quos citat. Tom. 2. Lib. 10. Cap. 6.

Num. 58. Addit etiam, qualiter scripserat ad **Factorem**, adhuc inter Capucinos agentem super eodem transitu Joannes Madritensis ex Provincia S. Joannis Baptistæ Discalceatus, Cui jam ad suos

Suos regressus in hæc verba respondit : „ Jesus
„ Maria. Dilectissime in Jesu Crucifixo Pater!
„ Pax, & amor, & Charitas spiritus sancti in
„ anima tua sit : Litteras tuas jam ad meos re-
„ versus hic in Conventu de Jesu Barchinonensi
„ recipio : respondeo, me non amplius inter
„ Capucinos immorari ; & quid agendum sua-
„ deam, ignoro, nisi, ut desiderium tuum dili-
„ gentius examines ; quidquid ad perfectionem
„ desiderari potest in hac vita, habes, & tenes
„ inter Discalceatos. Ora quæso pro hoc ab-
„ ominabili Fratre Petro Nicolao Factore „

Hæc B. Nicolaus Factor, de cuius Canonizatio-
ne serio tractatur in curia. Nec disformiter B.
Franciscus Tornielli Novarensis, agitata videns
in Mediolanensi Provincia suam Reformationem,
quietem, perfectionemque majorem sibi com-
promittens inter Capucinos, ad eos transiit, Citi-
us autem spe suâ frustratus, licet honoribus pri-
mariis ad commorandum efficacius invitatus, ad
suos tamen Reformatos redire voluit. Quin &
in solemnitate Corporis Christi in solemnissima
supplicatione, publicam pro antedicto transitu
sibi à superiori Reformato impositam pœnitenti-
am lætantet obire, non recusavit. Sic Petrus de
Varisio, & Angelus de Mediolano, sic Angelus
de Vigevano, & Benedictus de Matera in eadem
Mediolanensi Reformatione, singulari vitæ pro-
bitate, rigidiorisque pœnitentia zelo conspicui-

ad suos à Capucinis redire voluerunt. Vide *Orbem Seraph.* suprà.

Num. 59. Absit à me, quòd Recollectos, Reformatos, nostrósque in Hispania sic dictos Discalceatos, & Alcantricos scribam Capucinis esse strictores: quia odiosas comparationes hujusmodi detestor; profiteor tamen, nedum illos, sed & ipsos Observantes (prout & Bullæ suprà Num. 56, adductæ contestantur) ad integrum Regulæ Observantiam vi publicæ professionis teneri, idque juxta Declarationes ipsius Regulæ rigidas, & rigidissimas Nicolai III. & Clementis V., obligationes mortales assignantes; juxta quas quidem Declarationes etiam PP. Capucini (teste Hieronymo à Politio eorum Generali) in suis observantiis regulantur: Author nihilominus *Orbis Seraphici* loco suprà cit. N. 18. de eorum obligatione tenet, ac dicit sequentia: „ singula-
„ riter autem advertendum censeo, quòd, tametsi
„ in prefatis Clementis VII. & Pauli III. Pontifi-
„ cum Litteris, dicantur PP. Capucini ad Fran-
„ ciscanæ Regulæ rigorem vivere velle, quantum
„ humana fragilitas patiatur, nullibi tamen ad
„ illius rigorosam Observantiam, juxta puriores
„ Nicolai III. *Exiit.* & Clementis V. *Exiri.* Ex-
„ positiones Decretales obligantur per mandata
„ pontificia, sicut Observantes ex prima suæ Re-
„ formationis Institutione, per repetitas Clemen-
„ tis VII. & VIII. nec non Gregorii XIII. &
„ XV.

; XV. Litteras, & mandata simpliciter obli-
„ gantur. „

Num. 60. Ulterius noster M. Verinus (ut contra quoscunque faciat, vel saltēm piē declareret Capucinos Recollectis Strictiores) per integrā etiam sui *Discursus Polemici* quæstionem XV. intendit, contenditque probare, usum Syndicorum Apostolicorum , quem tenent Recollecti, non quidem Regulam substantialiter lēdere , illum tamen usum, quem habent Capucini, rigidiorem esse , & puriorem ; pro ēoque adducit duos foliū modos hujusmodi usūs pro Capucinis, & quinque pro Recollectis , ut rem perfectam habeat. Ad quod breviter respondeo : post Clementem VII. aliōsque Pontifices Innocentium XI. in superius allegata Bulla : *Sollicitudo pastoralis* , sub dato Romæ die 20. Novembris 1679. in terminis declarāsse , quod syndicorum Apostolicorum in Ordine Observantino usus non sit dispensatio in Regula ; sed modus , inquit , à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris provisus pro puriore illius observatione , sive ejusmodi Syndici assumantur ad præscriptum Constitutionum Nicolai III. & Clementis V. sive secundū Dispositionem fel. mem. Martini V. & Pauli IV. Prædecessorum pariter nostrorum , prout illorum usus singulis Familias , Congregationibus , Reformationibus , aut Provinciis Ordinis prædicti respectivè fuerit receperitus. Ex quibus sic argumentor : Si nedum duplex usus Syndicorum à Nicolao III. & Clemente

V. dispositus (quem solum M Verinus pro Capucinis admittit) sed & alii adhuc tres talis usus modi sint provisiones pro puriori Regulae observatione per Pontifices factae , & approbatæ ; ergo , sive per quinque , sive per duos tantum modos ad finem , qui Observatio Regulæ est , tendam , purè profectò , & purius tendo . Sicut à simili : sive ad eundem terminum plures mihi dentur & assignentur viæ , sive una tantum (modò omnes directæ , tutæ , ac puræ irrefragabili judicio censeantur , & approbentur) per quamcunque illatum incedo , directè , puitè , ac tutè ad terminum pervenio : Neque se arctare ad unam præcisè , majoris puritatis , aut securitatis est . Deinde , cùm in hac Bulla Pontifex omnes modos utendi Syndicis Apostolicis indifferenter enumeret , nec provisiones Nicolai III. & Clementis V. (quas Capucini tenere dicuntur) aliorum nominatotum Pontificum provisionibus ob majorem rigorem , & puritatem præferat , sed potius quā supremus Doctor in puritate æquivalentes declareret : nescio , an præferentia à Magistro nostro innominato , quantumcunque absolute prolata , à judicio non prævento sit admittenda . Mihi saltē unus in hoc Pontifex plus valet , quām nonaginta novem modesti verini .

Num. 61. Si quis autem benevolorum Etotorum quoad hasce Minoritanas Observantias curiosus existit ; revideat in *Discursu Polemico* pag. 234. expositos quinque modos usus Syndico-

dicorum Apostolicorum, id est illorum, qui nomine Sedis Apostolice Conventus, hortos, Libros, utensilia, quin & Eleemosynas pecuniarias, vel gratis oblatas, vel honesto, ut Regula loquitur, laboritio [sub quo & Lectio-nes Sacrorum intelliguntur] recipiunt, & at-tentè examinet, an 3tius & 4tus modus sub duobus prioribus non comprehendantur: quod enim in posterioribus additur de Vendicatione, & titulo Juris ad Romanam Ecclesiam, propter Fratrum incapacitatem, spectantis, hoc etiam in primo & 2do satis subintelligitur per ex-prellum in iisdem Apostolice Sedis *Dominium*, utpote, quod à titulo Juris, & Vendicationis inseparabile est, illumque sicut species suum genus includit. Neque in 5to modo vera, sed foliū apparenſ est differentia, dum hic modus continet, quod quacunque Eleemosynæ, etiam pecuniariæ Syndico Apostolico sint consignan-dæ, qui ad requisitionem Fratrum, in eoru-dem necessitates ita illas expendat, ut, si do-nans Dominium, seu Juris titulum abdicave-rit; Syndicus ille agat nomine, & ex *Dominio* summi Pontificis; si verò Dans talium sibi pro-prietatem adhuc reservaverit, idem Syndicus agat nomine, & ex proprietate dantis: & haec vocatur provisio Martiniana, quam S. Joannes Capistranus composuit. Non acceptantes verò hanc provisionem, putant securius, pu-riusque Eleemosynas hujusmodi per Matres,

vel Patres, aut *amicos*, ut vocantur⁴, *Spirituales* recipi, & exponi nomine dantium; Ast hi, quantumcunque pro diversitate dantium in diversis locis sint multiplicati, debebunt induere personam Apostolicam, quotiescunque donantes non volunt donatae Eleemosynae amplius habere dominium; ne alias dominium hujusmodi, vel derelictum sit, & veluti accidens sine subiecto, vel ad Fratres transisse censemur. Sicque illa provisio nec Fratribus plus tribuit respectu talium Eleemosynarum Libertatis forte abutendae, nec donantibus ullum infert praecipuum, utpote, qui, quamdiu volunt, possunt illas pecunias habere ut suas; nam & Martinus V. aliique Pontifices dominium talium in se non suscipiunt aliter, quam sub clausula: *nisi donans talium dominium sibi reservaverit.*

Num. 62. Exposito nunc aliqualiter motae per M. Verinum questionis Systemate, pro assecurandis saltetm conscientiis Observantiniis, absque animo disputandi, dico in modo; quod, sicut Ecclesia Dei, & Christi pro diversitate temporum, & mutatione Status ejusdem alter, & aliter recta, & directa fuit a Spiritu Sancto per summos Pontifices Vicarios Christi: prout ipse Christus Apostolis, & Ecclesiae promiserat; ita singulari Dei providentia, Ordo Seraphicus directus fuerit, & in eo vita Christi, & Apostolorum ejus, sollicitate custodita. Et hanc sollicitudinem, atque curam sibi ex

Offi-

Officio, ut Ecclesiæ Christi Pastoribus incumbere, agnoscunt, & fatentur summi Pontifices, qui ab ipso Ordinis Exordio, continuatâ serie, Regulam declarârunt, prout singuli per ordinem in suis Constitutionibus & provisionibus testantur. Nunc

Num. 63. Dico 2dō, quod Regula S. Francisci per Martinianam provisionem circa usum Syndicorum Apostolicorum, pro hoc *Statu Ecclesie*, & Ordinis facilius, quietius, & securius observetur. *Facilius*, quidem, & *quietius*, quia cum minore distractione, & circa sacerdotalia occupatione, ac exteriori divagatione, informatur unus Syndicus, de qualitate Eleemosynæ, de voluntate donantis, & aliis, quæ ex Regula circa Eleemosynas pecuniarias servari debent; quam plures illi substituti dantur, qui subinde intervenire debent, dum expensio Eleemosynæ requirit, & tractum temporis, & distantem ejus in loca diffusa translationem. Ad hanc conditionem Videtur respxisse Martinus V. in Bulla *amabiles fructus*. Ubi se profitetur per suam provisionem nil intendere, nisi *Statutum Ordinis prosperè conservare*, & *Professoribus ejus ab exercitis, & sacerdotalibus curis relevare*, ut in humilitatis Spiritu, & contemplationis suavitate, sincerius, & quietius possint Domino famulari. Dixi quoque *securius*: Quia hoc sæculo nequam depositis Eleemosynis periculum imminet infidelitatis à multiplicatis substi-

substitutis donantium; & in Fratribus recurrentibus, ac procurantibus periculum proprietatis, aut receptionis pecuniarum per interpositam personam, ex humana fragilitate, & tenaciori affectu ad habendum, & retinendum. Pro quo etiam facit, quod quilibet posset sibi eligere amicum hujusmodi spiritualem, sique ad illum contra Regulam (quæ solis hoc Superioribus concedit) recurrere: personam autem Apostolicam solus Provincialis Superior designat; quæ pecuniam, etiam ad particularem alicujus Fratris necessitatem datam, cum aliis ad communem Conventus necessitatem oblatis commiscens, Superioris requisitionem exspectat.

Num. 64. Proinde securius, regulariter omnes Eleemosynæ pecuniariae, & ad pecuniam reducibiles ad unicum destinantur Syndicum, qui tam à Summo Pontifice, quam à Ministris, & Custodibus (quoruni est ad amicos Spirituales ex Regula recurrere in necessitate) nominatus, & designatus est, ut respectu pecuniarum abdicatarum personam gerat Syndici Papæ, qui earum fit, & est Dominus; & respectu pecuniarum non abdicatarum personam agat substituti ipsius donantis, in quorum respectivè dominio manent. donec sint consumptæ. Et ad hanc conditionem, imo ad utramque, videtur respexisse Innocentius IV. dum dicit, se suam provisionem dare,

ut Fratrum quieti provideret , ne pedes , ut ait ,
quos lavasse videbantur , affectu , & effectu omnia
relinquendo (quod absit) iterum contaminare con-
tingat . Item Martinus IV. in Bulla , quæ incipit
Exultantes . quam civat M. Verinus , profitetur ,
se ad suam provisionem inductum esse , tanquam
ad honesta remedia , quibus Ordinis pura Obser-
vantia in suo Vigore servaretur , iidemque Fra-
tres ... liberi & quietius divinis vacarent ob-
sequiis . Profectò cum summi Pontifices sincerè
protestentur , se suis provisionibus de Syndi-
cis , hujusmodi finem in mente , ac proposito
habuisse , piè admodum credendum est , divi-
nâ inspiratione Spiritûs Sancti , Seraphicæ Re-
gulæ Observantiam zelantis , & pro temporis
exigentia curantis , provisiones illas Pontifi-
cum emanâsse . Proinde melius , & securius
esse , posteriores illorum provisiones sequi ,
velut posterioribus Ecclesiæ temporibus cun-
gruentius accommodatas , quam priores , priori-
bus temporibus pro alia eorum exigentia adap-
tatas . Et in hoc fundatur æquitas Juramenti ,
quo olim in Capitulo Assisiensi (dum primùm
Martiniana prodiit , & publicè per S. Joannem
à Capistrano proposita fuit) ejusdemque Capi-
tuli Apostolicâ Authoritate Præses , omnes PP.
tam Conventuales , quam Observantes obstri-
ctos esse voluit ad ejus sequelam . à cuius
quidem vinculo Martinus V. in Bulla : **Pervi-**
gilis . Ministrum Generalem , nonnullosque alios

Jura-

Juramenti præstiti paenitentes, absolvit, & dispensavit, sed reliqui, maximè Observantes absolvi, & dispensari noluerunt: & Eugenius IV. Martini V. successor dispensationem à Prædecessore datam sustulit, Vinculum antiquum restituit. & Stabilivit. Quod certè Juramentum (nisi Martiniana provisio aliquâ consideratione fuisset utilior, & melior) nec dispensatione equisset, nec vinculum ejus revalidari potuisset: Omne enim Juramentum, sicut & votum, ita necessariò est de meliori bono, ut alias non obliget, sicut ex communi Theologorum sententia, & Ecclesiæ praxi notum est.

Num. 65. Nec obstat, quòd nonnullæ Provinciæ, imò integra aliquando Observantinorum Familia Cismontana Martinianam illam, tanquam de relaxatione suspectam recusarint acceptare, id enim provenit ex non sufficienti examine, & ex nimis Scrupulosa prima facie apprehensione relaxationis latentis, quæ reverè non latebat; unde eadem istæ Provinciæ postmodum paulatim cœperunt se retractare, ac Martinianam amplecti, quod & in Hispaniis fecerunt nostri Discalceati sub rigorissima Reformatione à S. Petro de Alcantara feliciter introducta; quæ nulli unquam Seraphici Ordinis Reformationi cedere, nec usque modò debet. Et præsertim post Innocentii XI. declarationem suprà N. 60. adductam, Observantinus Ordo sub Martiniana illa nunc sedet secu-

securus. Et revera, quantumvis ipsi PP. Capucini necdum quoad illam censemantur se retrahasse, certo, vel à parte rei Martinianam observant, vel ad minus censem non improbabilem esse in praxi; sic enim censet P. Leander à Murcia Capucinus in Exposit. in Reg. Cap. 5. ad caput 4. N. 22. ubi quantum ad præsens sic ait: *Sed quæbarum sententiarum sit magis vera, nolo resolvere, sed relinquo iudicio Doctorum, ut quisque sentiat, quod voluerit.* Pater etiam Hieronymus à Politio Capucinus, et si in sua Expositione in Regulam super cap. 4. Num. 53. dicat: Fratres absque dispensatione Régulæ, & Declarationum Nicolai & Clementis uti non posse Syndico Martiniano, quoad receptionem Eleemosynarum pecuniariarum; tamen ibidem N. 37. contrarium admittit esse secundum Innocentium, Nicolaum, & Clementem in suis Declarationibus; docetque, quod hujusmodi pecunia, cuius dominium dans nullo modo apud se vult esse, sit Romana Ecclesia, & auctoritate ipsius Ecclesia in necessitates Fratrum expendatur. Ubi quæri posset: unde talis auctoritas influum habeat in illos, qui Pontificis illam auctoritatem communicantis nolunt provisionem acceptare? satius dicatur, esse quæstionem de nomine.

Num. 66. Contra Saniorem autem Martinianæ Provisionis intellectum, à Marchantio, aliisque relatum, decipitur R. P. Cyprianus

Crou.

Crouzers Capucinus, dum in sua Expositione, Lectione Paræneticâ 10. ad Cap. 4. Regulæ docet, quod uti Syndico Martiniano ad præsens, seu ad actum sum receptionis pecuniae, non sit aliud, nisi recipere, absque illa exceptione, omnes omnino pecunias, nullâ habitu ratione necessitatis; sive illa sit, sive non sit præsens, sive immensus; sive sit futura, sive sit possibilis, & incerta. Item, quod inde permisum sit, non solum Fratribus in communi, deponere pecunias apud Syndicum: sed quilibet in particulari, & ad suos usus particulares, procurare pecunias, quasibi serventur à Syndico. Ex qua suppositione P. Crouzers benè infert, quod hoc sit habere thesaurarium, vel ararii non solum communis, sed etiam cuiuslibet in particulari Praefectum. Et multa similia, quæ prosequendo congerit, & exaggerat. Certè, si sic PP. Capucini Martinianam intelligent, & interpretentur; non miror, quod illam rejiciant, & reprobent: quia sic intellectam certissimum, & clarissimum est, esse non tantum contrà Declarationes Nicolai III., & Clementis V. sed etiam contra Regulam. Ast! sic interpretari Martinianam Calumnia est, & gravissima illata injuria, tum S. Joanni Capistrano, Martinianæ, ut diximus, Conditori, ac totj Familiæ Observantium, tunc saltēm Sanctissimæ, quæ Martinianam acceptavit; imò toti Ordini Seraphico, qui eam nunc passim acceptavit; tum Sanctissimo D. Martino V. & pluri-

pluribus aliis summis Pontificibus, qui provi-
sionem illam, ut Seraphicæ Regulæ per omnia
conformem, & puræ ejus Observantiae con-
gruam, & securam approbârunt. Et hæc de
usu Syndicorum Apostolicorum, de quo multi
luculenter scribunt, mihi sufficient.

Num. 67. Lubet nunc accedere ad quæ-
stionem VI. *Discursus Polemici*, ubi M. Verinus
contradictionibus assuetus, mihi tales finè ulla
reali in me contradictionis apparentia impo-
nit; dicit enim pag. 90. Quod ego Matthæum
Bassium, & Ludovicum Foro-Sempronianum,
primos hos Capucinicæ Reformationis Satores,
ex Sodalitio Observantino exiisse *mox sciam*,
mox nesciam, *mox affirmem*, *mox negem*; &
ut hoc more suo efficaciter probet, dicit, me
pag. 16. 115. 132. & alibi perhibere: *Tenen-*
dum esse, quod Capucinorum Congregatio, potius
ex Convenientiis, quam ex Observantinis pro-
dierit. Et, ut hujus contradictiorum exponat,
subjungit: *alibi vero*, nimirum pag. 115. dicit:
Capucini à nobis excentes prærogativam Ordinis
non sumpserunt secum. Item pag. 133. Certum
est, Patres illos, qui Congregationem Capucino-
rum incepérunt, Ordinis Observantini Alumnos
fuisse. Demum adductis hisce verbis meis con-
cludit dicens: *Variante itaque Neo-Historico*
nostro, Capucini constantius, ac firmius tenent
sequentia. Et sic tandem Capucinorum ab Ob-
servantibus exitum, & quidem talem, qualem
Ee ego

ego negare nunquam somniavi , veluti sīnē sine , & quidem perditā operā , probat per probatur I mō, 2 dō, 3 tō, 4 tō , & 5 tō . ut juxta superiūs dictum , omne supervacaneum pleno de pectore fluat.

Num. 68. Dixerim hīc , cum bona Venia , quōd videatur M. Verinus propriam contradicitorum naturam ignorare ; unde fortè etiam sit , quōd suo modo inculpabiliter in talia incidat , seu talia cūdat. Sciat proinde , quōd in eandem etiam rem , sub diverso respectu consideratam , & sub tali præfertim explicatam , non cadat contradic̄tio : utpote quæ per Philosophum , est ejusdem de eodem , eodem modo sumpto affirmatio , & negatio , quæ non contingit , dum Petrus sedens non stat , stat tamen , si à sede resurgat. Sanè , nī vanus , & vacuus oppugnator voluisse videri , reflexisset melius ad ea , quæ locis citatis , & alibi , nēdum dixi , sed & explicavi dicens , quōd primi Capucini ab Observantibus exierint minūs solemniter , sīnē pulsu campanæ , & sīnē Vexilo , unus solūm post alterum ; à Conventualibus autem per modum jam constitutæ Congregationis , solemniter , ac sub concemitante Diplomate Apololico ; Unde ego in Dialogo Cont. pag. 136. exponens , qualiter vi sua Institutionis fuerint Conventualibus subjecti , inferendo subjunxi : Unde hīc quilibet arbiter esse potest : An dicenda sit hac Reformatio ab Observantia exiisse , ex eo præcisè , quōd primi

Patres in Observantia professionem emiserint? An à Conventualibus, quibus ante Congregationem incep tam inscripsi fuerunt, quamvis vitam illorum non sint secuti, sed strictissimam Regulam Observantiam.

Num. 69. Ubi ego nequidem aliquid determinavi, sed arbitrum constitui pro eo, *quid potius dicendum sit*, neutrum absolute negando; esto, quod aliter loquendum mihi sit de primis Capucinis, veluti personis particularibus ab Observantia, sine ullo pro tunc adhuc indicio Congregationis constituendae, & separandae, nullaque concomitante Bullâ Apostolica, exeuntibus, & non nisi Capucinis futuris; quam è contra loqui debebam de illis ut Congregatis, seu Congregationem jam Constituentibus. Et quidni sub tali consideratione exiverint à Conventualibus solemniter per modum Communitatis, & sub proprio Crucis Vexillo? praesertim dum post centenariam ferè subjectionem à Conventualium Jurisdictione primùm exempti fuerunt per Bullam Pauli V. quæ incipit: *Alias felicis.* datam 28. Januarii 1619. Quibus à tempore suæ Institutionis, & in Congregationem erectionis ita fuerant ab ante subjecti, ut in publicis Processionibus sub Cruce Conventualium incederent, horumque Magister Generalis electum Capucinorum Generalem Vicarium confirmaret, & universam illorum Reformationem in Capite, & Membris visitare, corrigerere, atque punire valeret;

sub formis tamen in Bulla Pauli III. præscriptis. In dicta tamen Paulina non habetur, quod independentem jam factum primicerium suum possint sub titulo *Ministri Generalis* eligere; qualiter solus appellandus veniebat ille, à cuius Jurisdictione ut particulates primū exiverant.

Num. 70. Objicit M. Verinus pag. 146. Quod Joannes à Vallibus anno 1334. Gentilis à Spoleto 1350. Trincius 1368. etiam exiverint à Conventualium corpore, tanquam homo A. & homo B. non autem cum Vexillo, & Cruce, adeo. que sicut primi Capucini exierunt à Corpore Observantino. Respondeo, imprimis repetitum sèpè virium denuò esse in argumento: negoque, Paulum Trincium, qui Reformationi Fratrum de *Familia* initium dedit, à Conventualibus exivisse, tum, quia tunc adhuc nulli in Ordine Conventuales nuncupabantur; tum etiam, quia ab Ordinis Capite, S. Francisci legitimo, ac Legali successore, cui obedientiam voverat, nec ipse, nec ejus sequaces unquam fuere separati, licet separatam amplexatisint formam Regiminis, modumque vivendi sub ejusdem talis Capitis obedientia, & Jurisdictione. Ulteriore deinde disparitatem habes in eo, quod talismodi particularitas vivendi facta fuerit, nedum de licentia, & consensu Ordinis, & Ministri Generalis, sub Ordinis unitate, sed & Ministro Generali nomine Ordinis ad eam urgente, & extimulante; singularitas autem Regiminis subalterni, manente

supre-

supremâ jurisdictione in capite, fuerit introduc-ta per Concilium Constantiense, approbatante Eugenio IV. Et quis dixerit Paulum Trincium, vel alium etiam ex predictis sine obedientia vel pedem movisse, multò minus sine superiorum licentia de Conventu exivisse?

Num. 71. Nunc ad Questionem IX. Discursus Polemici, simûlque de ejusdem nonnulla alia in Q. XII. exposita gravamina accedamus. Scripseram ego in Dialogo Cont. pag. 44. defensivè procedendo; quod Capucini portent Caputium oblongum, ut different ab Observantibus, prout Leo X. in Bulla: *Omnipotens Deus. preceperat, ut, si continget in Ordine Conventualium Reformationem exurgere, hæc notabili signo externo deberet ab Observantibus differre;* addidique: *Parbam insuper nutriunt, ut ostenderent se ex fine sue Institutionis esse Eremitas S. Francisci.* Quod M. Verino ita displicuit, ut ejus Cœliens R. P. Hierotheus inter alia etiam Roma contra me conquerendum putaverit, ubi equidem (ad phrasim Plauti) *de meo Capite nondum aguntur Comitia.* Et deinde sui Discursus pag. 143. inter solita præstantia, reperitaque *Advertenda suam hanc mihi Assertionem oponit: Primi Capucini neque unquam fuerunt, nec reputari, aut nuncupari Valent Eremitæ propriæ, & strictè dicti.* Et hoc probat ex ea, quod Clemens VII. in Bulla: *Religionis Zelus de anno 1528. Capucinos ad vitam Eremiticam non sim-*

pliciter, & absolute ordinaverit, sed cum addito,
& restrictive, nempe ad talismodi vitam juxta Re-
gulam S. Francisci ducendam.

Num. 72. Ast ! ut quid inutilibus te vexas
mi M. Verine, nimirum laboriose ? Dic etiam
Sodes ! ubi ego unquam memini, quod Capu-
cini ex fine suae Institutionis fuissent *Eremita pro-*
priè, & strictè dicti ? Ego alios Eremitas non in-
tellexi, nisi illos, qui ad vitam *Eremiticam* sunt
instituti, seu qui vitam *Eremiticam* posse licet,
& validè ducere à Sancta Sede petiverunt, & im-
petrârunt, expedito, hos terminos referente Di-
plomate. Quod autem, ut dicis, Papa non in-
tenderit vitam *Eremiticam* simpliciter, & abso-
lutè, sed quæ insimul juxta Regulam S. Francisci
esset regulanda ; benè dicis, & ego tecum sentio ;
Unde primos Capucinos non dixi vocatos Eremitas
absolute tales, aut qualescumque, sed *Eremitas S. Francisci*. quanta non in frivolorum argu-
mentorum fabricatione temporis, chartæ que
jactura ? Cùm autem in citata Bulla : *Religionis Zelus*, simul dicatur, quod ad Fratrum Con-
ventualium *Consortium* se transtulerint, ac benignè
suscepti dictorum Fratrum Conventualium ejusdem
Provincia (scilicet Marchia) numero, ac consor-
tio aggregati fuerint, debuisse fortè illos Ere-
mitas S. Francisci Conventualium nuncupare ;
tunc error non in me, sed in Bullarium Roma-
num conjiciendus fuisset : utpote, quod Tom.
I. Bullâ 21. Clem. VII, in titulo prædictatæ Bullæ
sic

sic habet : *Approbatio Congregationis Fratrum Eremitarum Capucinorum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci.* Et in Rubrica ibidem sic notatur : *Isti Eremita nomen Capucinorum postea sortiti sunt.* Item in Rubrica Bullæ Undecimæ Pauli III. sic dicitur : *Approbatio 2da Congregationis Capucinorum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci. . . Hi Fratres Capucini hactenus Eremita nuncupabantur.* Ubi non additur , sicut nec addidi ego : *propriè & strictè dicti ; nec tamen etiam restringit addendo S. Francisci , prout ego addidi , magis in hoc innocens , quam Author , seu compilator istius Bullarii.* Hac nihilominus Rubricâ non obstante PP. Capucini Observantium non minus , quam aliunde Conventualium Filiales declarati sunt per Decretum Sac. Congregationis de die 16. Januarii 1679. quod vide supra Cap. 7. N. 16.

Num. 73. Paginâ 148. prætendit M. Verinus, primos Capucinos pro vita Eremitica licentiatos fuisse , antequam se subjicerent Conventualibus; unde ibidem de me dicit : *apertissimi erroris convincitur : Capucinos enim non ad annum 1528. ut hic Neo-historicus pag. 44. in continuato Dialogo singit , sed anno 1526. obtinuisse licentiam Eremiticam vitam ducendi. . . atque dein prius , anno nimis 1572. se ad Conventualium Obedientiam , rutilamque vertisse.* Et tandem concludit : *Id autem siue veritate Lectorem imbuere , aut errores cum ipso communicare ?*

Verum ignosco ipsi errorem, quo mihi hic error rem imponit: superius enim nesciebat, Imo, ut nesciens erraret, juxta illud: *omnis ignorans non peccat*, per Caput & Collum negabat, Licentiam illam per Cardinalem Episcopum Praenestinum Poenitentiarium datam, non longe post fuisse revocatam, cassatam, & annulatam. Quod, quia ego ipsi num. 10. supra ostendi, ipsam adducens Revocatoriam Bullam Clementis VII. Cum sicut accepimus. recolligat se jam, & permittat me de stabili ejusmodi licentia, non nisi ad mentionatum annum 1528. data, sine errore loqui. Velloqui etiam mihi concedat, de primis Capucinis, ut associandis, de qua associatione nihil unquam comparuit ante dictum annum 1528. Imo, quod magis est, ego (abstrahendo etiam ab omni hujusmodi intellectu) totum illud medium, seu spatium inter primam, & secundam licentiam, satis fideliter retuleram, ipsiusque primae ante annum 1528. datae licentiae memineram dicens: *Matthaeus à Bassio 1525.* & alii quidam (hic satis subintelligi poterat ad annum 1526.) apud Observantes professi à Clemente VII. pro se obtinuerunt licentiam, cuius deinde anno 1528., postquam revocata fuisset, renovatio facta est &c. renovatio enim supponit datam; ubi iterum patet, quod mea verba non satis fideliter adduxerit: Si enim verba mea, ut supra jacent, produxisset, non nisi ad risum talem mihi insultum facere potuisset; unde veritatem meam im-

per-

perfectè protulit, ut falsitas appareret contra illud, quod Glossa in Clement. Constit. de Ele^dtion. ait: *Veritatem in teto tacere interdum melius est, quam non perfecte dicere.*

Num. 74. Adilla, quæ M. Verinus in citata sua Quæstione IX. partim inter *notanda*, & *ad vertenda explicat*, partim etiam, quasi recapitulando in R. 1^{mo} ad object. 1^{mam} adducit dicens: *Vides itaque, quod sicut Capucina, ita & Observantina Congregatio suis in initiosis, vitam Eremiticam juxta Regulam Minoritanam assumpsit;* & dum alibi adducit, qualiter etiam primi Fratres de Familia Eremitiorum Fratres dicti sint; Respondeo imprimis, me vitam Eremiticam PP. Capucinis non tam objecisse, quam illorum ad pedes Domini vocationem laudasse; unde & adduxi ex Bulla Gregoriana, quæ ipsis Confessionum exceptionem interdixerat, pulcherrima illorum elogia. Deinde dico, Regulam S. Francisci prædicationem potius, quam vitam Eremiticam intendere; unde & de *Predicatoribus* speciale continet Caput, de Eremitis nihil; esto omnimodè concedendum sit, quod vita Eremitica cum eadem maneat comparsibilis, saltem respectu aliquorum Fratrum, quo sensu proinde intelligi debet illud: *Vita Eremitica juxta Regulam Minoritanam.* Tandem primi Fratres de Familia, sub ductu F. Pauli de Trincis, Eremitiorum, seu separatis tuguriis solum inhabitarunt de simplici licentia Ordinis, & Ministri Ge-

neralis ; non autem vi alicujus pontificiae Institutionis , per modum novæ , & separatae Congregationis ad vitam Eremiticam destinatæ ; ubi proinde in paritate magna est disparitas ; quam ego equidem non dedissem , nisi postulatus , solùmque , ut ostendam cum Martha posse Magdalènam sinè divisione in eadem domo morari , ubi tunc , & Dominus pascit , & paseitur : dum stante in aliquibus contemplationis dulcedine , per alios etiam proximus ex eadem domo adjuvatur ; unde & de S. Francisco , quantumcunque contemplativo , & nihilominus omnibus omnia factò , canitur in ejus Officio : *non sibi soli vivere , sed & aliis proficere , vult Dei zelo ductus.*

Num. 75. Pro fine hujus Capitis unum adhuc discutiendum restat , quod M. Verinus mihi summopere improbat ; dum scilicet primos Capucinos , nedum dixi ex fine primævæ Institutio- nis suæ Eremitas fuisse ; sed & barbam alere ipsis asserui esse concessum , ut se Eremitas ostenderent , videlicet S. Francisci : quam proinde causalem (ac si jus gentium quodammodo violasssem) re- pellens , pag. 158. ait : *nec ex ularatione , nec ex Apostolico Brevi , nec ex probato , & à partium studio alieno scriptore P. Joannes Matare ostendere poterit , Capucinos idcirco nutrire Barbam , ut se ex suo instituto (ego posui ex fine suæ institutionis) Eremitas esse demonstrent .* Et subjungit : *Verum prout plures alios continuata , ac continuantis*

Cba-

Charitatis hujus errores, ita & bunc transire si-namus. Suas demum econtrario alias rationes substituens, dicit, Clementem VII. voluisse Capucinos barbam nutritre, immo, ut assimilarentur Conventualibus, quibus, tunc temporis Barbatis, subjiciebantur, & ut magis differrent a rasis Observantibus. Ad id Papam voluisse non ad instantias, sed motu proprio, ut noviter suscitata Seraphica proles eò pleniùs suum Patrem representares: S. Franciscum namque ad exemplum Christi, & Apostolorum ejus nutriisse barbam, probant ejus Roma, Assisi, alibive extantes effigies, ac confirmat gravissima Bartholomei Pisani Authoritas dicentis, quod S. Franciscus habuerit Barbam nigram, pilis non plenè respersam. Et prosequitur: Ex quibus qualibet partialitas capte, quod Capucini barbam non deferant, quia ex instituto Eremita sunt, sed quia Serapicum suum Patrem, cuius legitimè & genuini sunt Filii, intus, & foris, quantum ipsis per Dei gratiam licet, imitari, ac representare contendunt.

Num. 76. Quibus tam fiducialiter dictis imprimis opponantur verba, per quae M. Verinus contra meum incidentale assertum agere incipit, scilicet: *Nec ex ulla ratione, nec ex Apostolico Brevi, nec ex approbato, & à partium studiis alieno Scriptore D. Modestus Verinus ostendere poterit, Pontificem talia motiva, & præsertim ultimum respexisse. Quantum deinde ad rem:*

ego

ego inculpatè putaveram, illa, quæ Clemens VII. in sua Concessione tam luculenter conjunxerat, me etiam per causalem particulam **Ut posse conjugere**, veluti relationem aliquam ad invicem dicentia; quam relationem, uti & causalem facile patiuntur ea, quæ ad invicem quadrant, prout est vitam Eremiticam ducre, & barbam alere. Quia tamen M. Verinus nedium rationem, sed & probatos Authores pro hoc postulat: Ecce **Arturus** ad diem 3. Augusti §. 19. eandem relationem statuens, sic ait: „Quoad barbam verò clarè deducitur à primitiva nostra Religione Seraphica, ne quaquam in usu fuisse eam nutritre, nisi solis Eremitis: prout fecit F. Elias anno 1230, quo, dum absolveretur à Generalatu Ordinis, secessit in Eremitorium Cortoneise. Et idem PP. Capucini egerunt, dum **Eremitaram** nomine initium dederunt suæ Congregationi; de qua Waddingus Tom. I. ad annum 1217. §. 64. & ad annum 1230. §. 12. ex Mariano, Marco Ulysonensi I. part. Lib. 2. Cap. 25. & aliis. Hæc Arturus in **Martyr. Francisc.**

Num. 77. Deinde non minùs in primis PP. Capucinis, quam in Eremitis Camaldulensis, quibus sese ab initio adjunxerant, relatio præfata asserenda videtur; præsertim, cùm in Libro, cui titulus: *Romualdina, seu Eremitice montis Corona Camaldulensis Ordinis Historia.*

ria. pag. 134. Cap. 14. hæc leguntur Patrum Capucinorum elogia : „ Hoc proinde scien- „ dum est , ex illa prima cum nostris Eremitis „ brevi conversatione , semper inter utramque „ Religionem quandam radicalem mansisse „ mutuam Charitatem , & Sanctissimam ami- „ citatæ conjunctionem . Item à nostris quæ- „ dam sibi peculiariter , & communiter ser- „ vanda assumptissime ; quale est barbam oblon- „ gam deferre , nec non sine Cantu , solaque „ distinctâ pronunciatione divinas laudes per- „ solvere , & quædam alia . „ An autem Ca- maldulenses Eremitæ ad imitationem Christi , & Apostolorum ejus , nutritionem barbæ cum vita Eremitica conjungendam putaverint , hoc ibidem non additur ; forte quia & prominentes à Capite Capilli ad talem Christi Domini imi- tationem possent æquè ordinari . Ibidem etiam abstrahitur ab illo : an primi PP. Capucini à Camaldulensibus (quibus se anno 1526. con- junxerant) precedentes , & se anno 1527. Con- ventualibus subjicientes , bárbam jam tum nutrire inceperint , antequam per Bullam : *Religionis Zelus.* Clemens VII. id ipsis con- cessisset . Saltē in illa Bulla non sit mentio *motus proprii* , quo suprà M. Verinus dicit , Pa- pam facultatem nutriendi barbam concessisse , & non ad instantias : quod si etiam verum esse permittatur , Judicavit forsitan Pontifex in pe- titione Vitæ Eremiticæ , de qua Bulla satis me- minit

minit, nutritionem barbæ contineri; unde ad petitionem unius utrumque concessit. Patet, saltèm illos nutritionem barbæ ab antiquitate Minoritica non mutuâsse, si, ut allegata historia dicit, à Camaldulensibus istam consuetudinem acceperint.

Num. 78. Probatur insuper mea pars ex non subsistentia Rationum suprà à M. Verino allegatarum. Prima enim ratio, de intenta per Pontificem Capucinorum cum Conventualibus assimilatione in Barbæ nutritione non ligat: quia, licet Conventuales tunc temporis barbati incederent, dubito tamen, an barbam oblongam portaverint, quod propriè est barbam *alere, & nutritre*. Multò minus admittenda videtur 2da ratio, Papam scilicet nutritionem barbæ illis permisisse, ut eò pleniùs S. Patrem repræsentarent. Præterquam enim, quod hoc nullibi ex Diplomatis tenore constet, ostendam inferius clare, & evidenter, nec S. Franciscum, nec primævos Ordinis Patres barbam nutritivisse. Cui non obstat allegata Bartholomaei Pisani Authoritas, quod S. Franciscus *haebuerit barbam nigrā*, quia non addit: *oblongam*, seu *nutritam*. Et cùm S. Pater utique non fuerit studiosus Observator rasuræ, sicut nec Cultor barbæ, poterat de facili barba ejus nigra apparere, dum illam potius neglexit, quam ex professo, seu veluti ad imitationem Christi spectantem, aluit, ac nutritivit. Ex quo etiam

etiam fundamento obviatur effigiebus, & picturis, quantumcunque antiquis, quæ equidem S. Patrem, vel potissimum sive barba, vel saltè cum non oblonga repræsentant. Antequam verò circa hoc id, quod Juris & facti est, exponam; protestor, me sequentem dissertationem non assumere, quasi volens in minimo RR. PP. Capucinorum Sanctam, & ab Ecclesia specialiter indultam, & approbatam consuetudinem censurare, sed solum (ut ostendam, Observantes per suam rasuram à primæva Ordinis methodo non deflexisse) adducam ea, quæ ab Ecclesia Romana (ad cuius ritum, & Ordinem S. Franciscus Institutum suum speciali Regulæ præcepto alligavit) tam ante, quam post Ordinis institutionem fuere circa rasuram Clericorum constituta; producturus deinde antiquissima circa eandem rasuram Ordinis monumenta.

Num. 79. Ortum est aliquando in Ecclesia à Græcis excitatupi disturbium; Cùm hi prætenderent Culturam barbe, ad imitationem Christi Domini, ejusque Apostolorum spectare, sicque à Clericis, & à Romano præfertim Pontifice omnium Ecclesiæ Patre, esse imitandam. Atque hanc Græcorum sententiam circa annum 866. sese cum pertinacia movisse, & sequentibus sæculis reassertam fuisse, colligo ex sequentibus. Nicolaus Papa Iimus, qui Imperatore Ludovico Juniore Augusto Eccle-

sic præfuit, Epistolâ 70. ad Hincmarum, & cæteros Episcopos in Règno Caroli (ut refert L'abbé in Collect. Concil. Tom. 9. Col. 1489. Lit. D.) sic scribit: *Graci Latines, quin & reprehendere satagunt, quia penes nos Clericj barba raderet suas non abnuunt.* In Concilio etiam Carthaginensi 4to, & 5to, aliisque in Variis Provinciis Occidentalibus celebratis, præcipit Clericis rasura barbae, prout refert eruditus P. Ludovicus Tomassinus in sua *Disciplina Ecclesiastica*, de Benef. Lib. 2. Cap. 37. & seqq. Forte & contra Clericos, hisce Ordinationibus non obtemperantes, agit S. Bernardus serm. 65. super Cant. Idem Tomassinus loc. cit. Cap. 41. refert, S. Gregorium VII. circa annum 1074. Rescripto suo mandasse Archi-Episcopo Cagliarensi, ut sub pena Confiscationis bonorum cum toto Clero se raderet, ad normam (addebat) *totius Occidentalis Ecclesie, qua ab initio fidei Christiana barbas raderet consuevit.*

Num. 80. Et hæc fuit Clericorum Disciplina, sicut ante institutionem nostri Ordinis Zelata, ita & exposit continuata; Unde etiam S. Carolus Borromæus pro abusu ejusmodi ex sua Diœcesi eliminando ad Clerum Mediolanensem dedit Pastorales Litteras Zelo plenas, monens, ut barbam radant Juxta Statum qti Concilii Carthaginensis, & S. Gregorii Papa VII. nec non juxta consuetudinem, ut ait, antiquissimam Ecclesie Occidentalis, qua & in Mediolanensi præser-

præsertim Ecclesia nostra ab illo tempore extitit observata, prout fidem nobis faciunt tabulae ab antiquo depictæ. Vide Tomassimum loc. cit. Ex quibus patet, consuetudinem illam nedum esse antiquissimam, sed & partem constituisse Ecclesiasticae Disciplinæ, ut tenet Magnus Gerson apud Tomasi. cit. Demum qualiter sæculo undecimo efforbuerit Græcorum isthæc pertinacia, scribit Baronius ad annum 1054. in principio autem sequentis sæculi, scilicet anno 1119. in Concilio Tolosano Can. 10, sub pena usque ad excommunicationis prohibitum fuit Clero Occidentali barbam alere. In Concilio tandem Florentino in causa Græcorum eadem obmovebatur quæstio, & ipse Patriarcha Constantinopolitanus in sua Apologia Græcis reprobrabat Vanitatem suarum querelarum inter alia scribens: *Vultis reprehendere Romanum Pontificem, quare? quia Latinus est, & barbam radit... non, quia peccator est, recusatis ipsi obedire, sed quia Latinus est, & barbam rasam habens.*

Num. 81. Interim Græci in illo Concilio, Haereticis dogmatibus depositis Romanæ Ecclesiæ uniti, seclusæ, & protestatæ contumaciâ, in aliis suis ritibus permitti sunt manere, scilicet: quod celebrent in fermentato; quod baptizent sub hac forma: *Baptizetur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quod ordinati in sacris utantur Matrimonio

contraēto ante susceptionem Sacrorum Ordinum; quod nutrit barbam; & quod Sacramentum Eucharistiae sub utraque specie etiam parvulis dent, cum protestatione tamen, Christum sub qualibet totum contineri. Ita **Nauclerus** Præpositus Tubingensis in sua Historia ad annum 1437. in fine. Cæterum inter Romanos Pontifices de solo **Julio II.** (cujus ex Surio historiam M. Verinus allegat) legitur, quod barbam permisit crescere per annum ante mortem suam. Post hunc **Leo X.** in Concilio Lateranensi pro Ecclesia Occidentali renovavit prohibitionem, ne Clerici nutrit barbam; ante hoc **Concilium B. Angelus de Clavasio** (de quo nostrum Breviarium) Scripsérat suam **summam Angelicam**, in qua Verb. **Clerici IV.** quærens, an Clericus nutriens barbam peccet mortaliter? respondet affirmativè, quia, inquit, potest excommunicari *c. si quis. de Vita & honest. Cleric. dist. 24.* Tandem Illustrissimus Sarnelli Tom. 1. **Litterarum Apostolicarum Litterâ 12.** ad Abbatem **Camillum de Notariis** datâ tenet, usum illum Græcorum esse contra modum incendi Apostolorum Principis S. Petri; & dum ei antiquissima imago S. Petri in vinculis fuisset opposita, in præfata Epistola respondet: *Non ostendatur imago S. Petri barbata: nam tempore, quo Sanctificabat carcerem, tonsorem non habuit, atque insuper, si imago illa bene consideretur, appareat, barbam post rasuram crevisse,*

visse, pro illo, quod curta sit, & aequalis in Gyro.
Doctor gentium Paulus pro tempore quidem
incepsit intonsus, propter Votum Nazaræatus,
quod, ut ostenderet, se jam complevisse, ton-
sus est in *Cenchrus*. Vide Cornelium à Lapide
sup. Acta Apost. Cap. 18. Vers. 18.

Num. 82. Rebus itaque in Ecclesia Roma-
na quoad Clericos sic stantibus, non videtur,
quod S. Franciscus, qui Ordinem suum om-
nimodè tali Ecclesiæ subjicit, & conformem
voluit, Fratres suos contra communem Ecclesiæ
prohibitionem, verbo, vel exemplo Jussit
nutrire barbam; vel sanè si nutritionem hujus-
modi in sui Ordinis Clericis voluisse, atque
etiam, quantum ad hoc, imitationem Christi,
& Apostolorum ejus intendisset, speciali pro
hoc licentiâ indiguisse; de qua nullibi constat;
quin potius innotevit contrarium nimis evi-
denter ex eo, quod nonnulli ex primis ejus
Fratribus, dum de Institutoris Obedientiali
mandato, ad piscandas Barbarorum animas
Marocum proficiisci volebant, pro suarum se-
curitate conscientiarum ab Honorio III. ipso
met Minoritanæ Regulæ Approbatore, Viven-
te adhuc S. Francilco, hanc sibi specialiter pe-
tendam putaverint, atque etiam impetraverint
Apostolicam Provisionem, ad Fratres Minores,
& Prædicatores directam sequentis tenoris:
» Provido consilio interdum mutatis habitum,
» *barbam nutritis*, & comam... Cùmque in

„ terra illa gratiā non possitis Victualia inventire... Urgens necessitas vos compellit
 „ Charitatib[us] recipere , sed parcē , denarios.
 „ Unde , cūm hæc sint contra Ordinis vestri
 „ Statuta ... humiliter postulāstis , Vestræ su-
 „ per his à Sede Apostolica subveniri conscienc-
 „ iæ , atque famæ. Cūm igitur ... Nos
 „ laudabile opus vestrū , piūmque proposi-
 „ tum attendentes , Vestris supplicationibus
 „ inclinati , super prædictis (*tribus scilicet supra*
 „ *memoratis , & utique in petitione adductis*)
 „ Vobiscum in illis Regionibus , quamdiu præ-
 „ scripta vos arctat necessitas , & invitat utili-
 „ tas , misericorditer dispensamus &c. Da-
 „ tum Laterani 16. Calendas Aprilis , Ponti-
 „ ficatus nostri anno 10. Apud Waddingum
 „ Tom. 2. Edit. Rom. ad annum 1226. Num.
 64. Et in Orbe Seraph. Tom. 1. de Mission.
 pag. 558.

Num. 83. Hanc Provisionem Apostolicam
 (ut unum confirmetur ab alio) constat in Reli-
 gione nostra primo ad usum deduxisse nostros
 quinque Sanctos Protomartyres (de quibus 16.
 Januarii) Videlicet Berardum , Petrum , Ad-
 jutum , Accursum , & Ottinem ; quos ad S.
 Patris viventis mandatum Marochium cum im-
 petrata superiùs memorata Provisione Aposto-
 lica proficiscentes , Domina Sancia Sancii 1 mi
 Regis Portugalliae Filia benevolè receptos , cu-
 ravit vestiri modo sacerdotali , sciens , quòd alias
 terram

terram illam intrare non permetterentur, rogavit, ut apud se tam diu morarentur, *donec Barba illis cresteret.* Vide Chronic. part. I. Lib. 4. Cap. 4. N. 4. Refert item Chronica Ord. part. I. Lib. 2. Cap. 25. Num. 68. Qualiter S. Franciscus in fervore Spiritus fuerit perturbatus ex eo, quod Frater aliquis per singularitatem, quam inter alia barbam nutriebat, Scandalizasset, & ad indignationem concitasset Episcopum; prout refert, & citat Author *Apologiae contra Rationes Historicas Antonio Lucci adscriptas Tom. I. Lib. 5. Cap. 8.*

Num. 84. Et si M. Verinus ad effigies velit, idem Author loco citato (postquam ibidem appellaverat ad Cumulum antiquarum imaginum, authenticè exhibitarum in Libro, cui titulus: *Fiume del terrestre Paradiso* Authoris impartialis) ad ocularem visum populi Romani pariter appellans, adducit: qualiter in celeberrimo Hospitali S. Spiritus in Saxia, per Sextum IV. restaurato, & ampliato, depicta habeatur vita præfati Pontificis ad Pontificatum assumpti ex antiqua, & indivisa Communitate Minoritica, in qua fuerat Provinciae primùm Romanæ, deinde totius Ordinis Minister; ubi inquit, repræsentatur dictus Pontifex gradatim, ut Minorita privatus, ut Superior, ut Minister Generalis, ut Cardinalis, ut Papa; atque in omnibus illis repræsentationibus appetet in habitu Observantino cum Clericali tonsura,

& vulturas. Et tales picturas, si non vivente isthoc Pontifice, saltēm non longē post mortem ejus, factas testantur periti, colligitārque ex eo, quod easdem referat *Vetus* Liber *Memoriale Ordinis Minorum* dictus, qui postmodūm insertus fuit Libro, cui Titulus *Firmamenta trium Ordinum*, edito Parisiis 1502. ante divisionem Ordinis. Apud Firmamenta part. I. fol. 36. Huc facit, quod Cap. 2. suprà adduximus, modernum scilicet *Sanctissimum Dominum nostrum Benedictum XIV.* dum dignissimum adhuc Promotorem fidei ageret, dūmque in processu B. Andreæ de Conti, pro parte Conventualium obmovebatur pictura, in qua idem Beatus cum barba repræsentabatur: statim allegâsse in contrarium picturam aliam à Discipulo vetustissimi Pictoris Giotti depictam, atque Florentiae in Sacristia S. Crucis existentem, quæ eundem Beatum in habitu Observantino sine barba, & coma exhibebat; quæ Cap. seq. N. 5. adducemus ex authentico.

Num. 85. Et quanquam antiqua statuta Ordinis nullam de rasura faciant mentionem, ut pote quæ propter assuetum communem Clericorum modum (quem Fratres sectabantur, & pro lege habebant) tunc erat superflua; Statuta tamen Julii II. apud superius citata *Firmamenta* part. 3. fol. 4. relata, carent: *Fratres comam, vel barbam non nutrient.* Quod Statutum ob non nullorum potius abusum intelligitur innovatum,

tum, seu explicitè posatum, quām intelligi, aut capi valeat, quod Conditores talium Statutorum, per tam modica verba, nullā additione convenientiarū circumstantionata, communem ab ante, atque à primā vis Ordinis Patribus derivatam nutritionis barbæ consuetudinem voluissent ex Ordine tollere. Quod argumentum saltē ligat, si conjugatur cum illis, quae suprà, tam de Disciplina totius occidentalis Ecclesiae, quām de statu Ordinis adduximus. Ubi iterum protestor, me similia non addaxisse in gravamen Sanctæ Congregationis Capucinæ, utpote, quam Orbis Christianus mecum colit, ac veneratur, tanquam ab Ecclesia in laudabilissimis suis Observantiis institutam, & sub maximis præconijs confirmatam; dum Clemens VII. id (quod aliis, seclusa speciali concessionis mentione, existebat prohibitum) ipsi in mortificationis, specialisque sui contemptū indicium, & tanquam aliquid Vitæ Eremiticæ conveniens expessius concessit. Ast! non excludantur tali Observantes ab exteriori in hoc imitatione S. Francisci.

Num. 86. Addit M. Verinus cit. pag. 199. Quod Capucinorum per Apostolicam Sedem approbatæ Constitutiones præscribant, barbam esse nutriendam ad exemplum Christi, Apostolorum, & antiquissimorum Ordinis Seraphici Patrum. Ad quod cum reverentia ad istas Constitutiones non minùs, quām ad approba-

tionem Apostolicam (quibus sua est integra Sanctitas) Respondeo: imprimis non fore prohibendum, aut improbandum Clericis S. Petri, si piâ quâdam reflexione dicent, se prominentes Capillos portare ad imitationem Christi; modò singularis aliquis pro illis scribens, per hoc quodammodo non insultet aliis, qui per rasuram capitis æquè prætendunt imitationem Christi, Coronam spineam portantis, crinibus ipsi potissimum evulsis.


Num. 87. Deinde dico: ex hoc non sequi, nisi quod RR. PP. Capucini licet, immo ex pietate intentionis etiam sancte, & sanctissime Barbam deferant; non vero, quod id ad veram, seu specialiter intendendam Christi, aut S. Francisci imitationem spectet. Nec pro hoc facit Papalis talium statutorum approbatio, quæ hisce majus sobut non adjicit, quam Doctrinæ, vel scriptis alicujus Doctoris, vel Sancti, quæ esto universaliter approbata existant authoritate Apostolicâ, hæc tamen non cadit super omnes Syllabas, superque omnia verba, & propositiones, sed scripta hujusmodi, vi Generalis approbationis, dant taxat declarantur utilia, & commendabilia. Pro quo multa possent adduci exempla, ex quibus sufficiat unum: In Concilio Romano Septuaginta Episcoporum sub Gelasio Papa anno salutis 444. post Decretum super Libros Apocryphos, à Gratiano in Canone: *Sancta Romana. Dist. 15.* relatos, fuerunt universaliter approbata opera

SS.

SS. Cypriani, Hieronymi, Augustini, Variorumque adhuc aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum; Verum hac ipsa, quantumcunque Generali, & illimitata approbatione, non censentur approbata ea, quae Episcopus ille Carthaginensis in nimio suo fervore scripsit de rebaptizandis Hæreticis. Neque in Hieronymo, & Augustino approbata censetur controversia, quam ad invicem habuerunt circa reprehensionem Pauli ad Petrum; ne alias Concilium in duobus Scriptoribus approbatæ dicatur contradictoria. Si proinde approbatio operum dogmaticorum cum multa sit discretione consideranda; multò magis id observandum in approbatione statutorum aliquius Religionis: ubi, quæ legis sunt, distinguenda veniunt à simplici narratione, piaque reflexione ad legem non pertinente.

Num. 88. Pro Clausula tam M. Vertino, quam quibuscunque super hoc primo disputare incipientibus dicit Reverendissimus olim super Nationem nostram Germano-Belgicam Commissarius Generalis *Jacobus de Riddere* illud, quod Boverio talen Christi, & Apostolorum, quasi specialiter intendendam imitationem exaggeranti in suo *Speculo Apologetico* aliquando respondit ad simile argumentum dicens: „Attendatur argumentum: *Franciscus fuit vir Apostolicus,*
 „qui perfectam Christi imaginem consecutus est,
 „ergo non abstinuit à barba, qua in Christo praecesserat. Existimo equidem, S. Patrem ni-

hil minus cutâsse. Nam, si tanta ei cura
 „ de hoc fuerit, ut, quoniam totus erat Evan-
 „ gelicus, barbam gestârit; cur non gestavit
 „ prominentes Capillos, quos in Christo, ve-
 „ lut in Prototypo, præcessisse intelligeret?
 „ melius quoque sibi, suisque simili exemplo
 „ præscripsisset tunicam inconsutilem. Satis
 „ denique foret, barbam non tam prominentem,
 „ sed in mensura, & longitudine Prototypi ge-
 „ stare. Faceant hæc nugæ; sit nobis non barba,
 „ sed Christi Charitas, & virtus in exemplum;
 „ vel, si pari passu insistamus, non minor erit
 „ tonsa Sanctitas, quam comata. Sic Sanctè,
 „ & benè utique Christum imitabimur, si sive
 „ tonsi, sive intonsi studeamus in hoc intende-
 „ re, quod Christus spectavit, & spectare nos
 „ docuit, Dei videlicet Gloriam, & volunta-
 „ tem, nostræque cum Superiorum Voluntate
 „ conformitatem., Hæc ille ad hos, & illos.
 Quòd, si ego longiorem, quam præfatus de
 Riddere dissertationem protraxerim, ignoscite
 mihi: factus sum insipiens, vos me ce-
 gisti.



CAPUT DECIMUM

*An Observantes sint Filiales Ordinis
Conventualium?*

Num. I. Adhoc quæstum non nihil discu-
tien-